



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque
Ecclesiæ Præcepta**

Tamburini, Tommaso

Dilingæ, 1697

Tractatus IV. De IV. Ecclesiæ Præcepto. Hoc Est, De Jejunio Ecclesiastico.
Et per hanc occasionem de peccatis circa cibum, & potum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032

TRACTATUS IV.

DE

IV. ECCLESIAE PRÆCEPTO.

HOC EST,

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

Et per hanc occasionem de peccatis
circa cibum, & potum.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Jejunium Ecclesiasticum.

I. **J**ejunium Ecclesiasticum, sic dictum ad differentiam Jejunii naturalis, quod servari debet ad Sacram Eucharistiam suscipiendam, & de quo latè diximus anno superiore; Jejunium, inquam, Ecclesiasticum universaliter sumptum est *abstinentia ciborum pro certis anni diebus modo ab Ecclesia instituta*, quem infra declaraturi sumus. Est autem duplicis generis; alterum, per quod abstinere Fideles debent à cibis per eandem Ecclesiam vetitis, nullo alio rigore superaddito, ut servatur in diebus terciae sextae, & sabbatis apud Ecclesiam Latinam, & feria quarta apud Ecclesiam Orientalem ejusdemque hebdomadae intra annum.

Alterum, per quod abstinere debent à cibis quidem ab Ecclesia prohibitis, sed cum alio majore addito rigore, hoc est, cum restrictione ad unam tantummodò plenam refectioem, ut servatur in diebus Quadragesimae, & Vigiliarum quatuor Temporum.

2. Porro tria hæc, quæ sunt passim obvia, supponenda sunt. Primò, præceptum hoc esse ab Ecclesia latum. Et quidem illud de Quadragesima usque ab initio ætatis Apostolorum ad imitationem Christi Domini Jejunantis in deserto, ut notat Sanchez *lib. 5. consiliorum cap. 1. dub. 1.* quidquid dicant aliqui innominati apud Fagundez *4. Eccles. præcept. lib. 1. q. 1.* qui ajunt, esse præceptum divinum à Christo institutum. Neque obstant S. Augustinus, S. Ambrosius, alijque apud eundem, qui dicunt, hoc præceptum esse de jure divino; sunt enim intelligendi originaliter, quia nimirum ad Christi

Pp 3

Do.

Domini imitationem illud Apostoli præceperunt, quod deinde jura Canonica confirmarunt. Idem prorsus dicte Jejunii quatuor Temporum. Jejunia verò Vigiliarum, & abstinencia à cibis vetitis in diebus feriæ VI, & sabbato, videntur esse solum de Jure Canonico, deque antiqua Fidelium consuetudine. Legite Leandrum de Jejunio *tr. 4. disp. 7. præsertim à q. 12.*

3. Secundò, supponendum est, hoc præceptum per se obligare sub mortali, ut ipsa Fidelium praxis, & sensus nimis clarè ostendit: quidquid dicant Cajetanus, & alij quidam apud Amadæum *in tract. de Jejunio prop. 6. tenentes, non esse mortale, frangere dictum Jejunium, nisi quando frangitur ex contemptu, vel ex inobedientia: quam tamen sententiam rectè idem Amadæus dicit, à Valentia vocari temerariam, & ab aliquibus Recentioribus erroneam. Legite Pasqualigum de Jejunio decif. 30. & ibi innumeros DD. fallam vocantes ejusmodi sententiam, & meritò ab Alexandro VII, damnatam Anno 1665.*

4. Tertio, quamvis multi putent, præceptum de Jejunio esse affirmativum, multi autem esse negativum; probabiliùs tamen ij loquuntur, qui dicunt, esse affirmativum, & negativum sub diversa consideratione. Est affirmativum formaliter, quia totum hoc præceptum intendit pro fine (à quo sumunt speciem, & formam actus) aliquid positivum, nempe macerationem carnis, satisfactionem pro peccato, & conformitatem cum Christo jejunante. Negativum verò est materialiter, quia

ejusmodi finem vult per illas negationes, id est, per negationem comestionis carniùm, & per negationem plurium comestionum in die, sed solum semel. Legite eundem Leandrum *loc. cit. quest. 6.*

CAPUT II.

Quosnam afficiat Præceptum Jejunij.

I. **A**liud est, excusari à Jejunio, aliud ad illud non obligari. Non obligantur ij, qui talis præcepti non sunt capaces, e. g. infans, infidelis, &c. Excusantur ij, qui quamvis ejus capaces sint, unde per se obligarentur, habent tamen aliquid, unde illis non imputetur culpa Jejunii violatio. Ejusmodi est e. g. adultus, infirmus, qui propter circumstantiam aegritudinis ad Jejunium ponendum non adigitur. Nos ergo hoc capite agemus de non obligatis, *infra cap. 10. de excusatis actu: licet notandum sit, multa hæc affectri, quæ ad excusationem referri possunt, & multa illic, quæ ad non obligationem.*

Infideles, & Hæreticus.

2. **I**nquires ergo primò, an hi teneantur lege Jejunii? Respondeo hæreticos teneri, non verò infideles. Ratio est, quia hæretici, cum supponantur esse baptizati, subjacent præceptis Ecclesiæ. Contra verò Infideles, cum non sint Ecclesiæ subditi, quæ subjeccio acquiritur per susceptionem Baptismi, præceptis Ecclesiæ

Ecclēsiæ nequaquam subduntur. Inter hos connumerat Cathecumēnos; ij enim, quia nondum receperunt Baptismum, Ecclēsiæ legibus non ligantur.

3. Hinc collige, infidelibus, & Cathecumēnis posse te licitè ministrare carnes in die Jejunii Ecclesiastici, quia sic tu non cooperaris ad peccatum ullum; si enim illi non peccant, carnes tunc comedendo, nec tu peccabis, qui illas apponis. Ita Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 12.* Fagundez alijque aum Leandro *loc. cit. q. 46.*

4. Quæres: Licetne mihi pari modo propinare vinum meo servo Mahometano ex eo, quòd ipsi ex sua lege illud bibere prohibeatur?

5. Respondeo non licere; quamvis enim ex objecto id non sit peccatum, quia vinum bibere non est contra DEI legem; tamen, quia ipse ex conscientia erronea putat adesse legitimum præceptum de ejus abstinentia, atque putat, se graviter peccare, illud bibendo, tu in hoc casu cooperareris cum ipsius peccato. Sicuti, si Christianus putaret ex sua opinione, vinum bibere in die Jejunii extra comestionem, esse prohibitum, & tamen biberet; peccatum committeret ex conscientia erronea ita ipsi dictante; quia conscientia est proxima regula operationis malæ, vel bonæ, & consequenter tu non posses licitè cum illo cooperari ad bibendum. Ita in casu nostro, &c. Dominus ergo hujusmodi Mahometano persuadeat, id ipsi peccatum non esse; nam tunc, si mancipium conscientiam erroneam deponat, poterit eidem porrigi à Domino vinum, si tamen non deponat,

licitè sanè non poteris. Propter has rationes idem dicendum erit de ministrandis quibusdam cibis infideli; quando is putat, se peccare, eos comedendo, ut e. g. quando Judæus, vel Turca putat, se peccaturum, si carnes suillas manducet, &c.

Legite in simili Caramuelem *tom. 2. Theol. Regul. num. 3389.* qui ait, infideles teneri obedire suis superioribus Ecclesiasticis, & Sæcularibus, quamdiù nesciunt, se errare; unde addit, quòd si Mahometanus negaret obedientiam suo Sacerdoti superiori, peccaret procul dubio mortaliter, si materia esset gravis, etiamsi (non obediendo illi suo superiori) nostro Canonico Juris, atque adeò Summo Pontifici obediret. Certè id non ob aliam rationem verum habet, nisi quia tunc hujusmodi Mahometanus contra propriam conscientiam (ut est in casu nostro) operaretur. Post hæc scripta incidi in Verricelli de Missionibus *fol. 186. in a.* liquo mihi contradicentem.

Infantes.

6. **I**nquires secundò: Quid de infantibus, qui sunt illi, quorum ætas nondum pervenit ad annum septimum completum, quando nondum rationis usus illis illuxit?

7. Respondeo hos non ligari ullo præcepto Jejunii, quia præcepta, & leges non feruntur, nisi pro utentibus ratione; unde, & lactinia, & carnes comedere ipsi possunt, eisdemque ea porrigere parentes, nutriceve licitè valent.

8. Sub-

8. Subinquires: Quid si quis ante septennium (ut non raro accidit) usu rationis potiat? Id quod non difficulter parentes, & domestici possunt cognoscere ex variis conjecturis, moribusque ipsius pueri, & praesertim si advertatur, satis ipsum discernere inter bonum, & malum.

9. Respondeo. Azorius, Villalobos, Trullench, aliique cum Leandro *trahat. 5. disp. 2. quest. 62.* hunc obligant ad abstinentiam carni, vel lacticiuorum diebus vetitis (ad Jejunium enim major aetas requiritur, ut non multo post dicemus.) Castropalaus vero, Joannes Sanchez, Pasqualigus, Diana apud eundem Leandrum probabile merito putant, hos non obligari, atque adeo connumerari, adhuc inter infantes. Ratio est, quia lex Ecclesiastica fertur pro eis, qui regulariter rationis usum habent, ac propterea solum ad eos, qui septennium compleverunt. Cum ergo per accidens sit, & raro, quod antea quis ratione polleat, de his non habetur ratio, sed censentur ab Ecclesia nondum legitime praecceptorum ipsius Ecclesiae capaces.

10. Quid, si post septennium completum rationis usum quis nondum acquisierit?

Respondeo: Hunc esse computandum inter infantes, quia usus rationis est, qui facit, hominem egredi ab infantia, non vero merum tempus.

11. Quid, si de hoc, excedente annum septimum, dubitetur, an usu rationis perfecto potius sit?

Respondeo. Tunc praesumendum esse, jam acquisivisse, quia praesumptio

solet delumi ex communiter continentibus; communiter autem contingit, ut post septennium quis acquisierit usum rationis; nam praesumendum, tunc erit, acquisivisse, quia communiter accidit, tunc ejusmodi usum advenisse. Ita Pasqualigus cum multis de *Jejunio deo. 50.*

12. Illud denique nota cum Henriquez *libr. 14. capit. 49.* & Bonacina *disp. 1. de leg. quest. 1. p. 6. num. 8.* quando prohibentur ova, & lacticia, posse per aliquod tempus pueris post septennium ea ministrari, quia, quamvis tunc obstringantur legibus Ecclesiae, tamen aetas illa adhuc tenera nimium patetur, si statim etiam lacticiis privaretur; unde talis prohibitio esset illis nimis onerosa.

Equidem id universaliter non concedo, sed solum quando, viribus pueri perpenis, ea prohibitio illis vetere graviter esset onerosa, quod facilius accidit in filiis nobilium, quam in rusticorum filijs.

Amentes perpetui, & non perpetui.

13. **I**nquires tertio, de amentibus. Respondeo: Perpetui connumerantur ex probabilissima sententia, cum infantibus ante septennium, atque adeo eandem, quam illi indulgentiam habent; siquidem lex humana nunquam intelligitur dari, nisi humano, & rationabili modo.

Dico, *perpetui*; nam non perpetui, quique intervallo lucis rationis gaudent, connumerari debent inter capaces hujus praeccepti, sicuti capaces sunt

doli,

Abli. Et nihilominus ex alio capite
his edere, & domestici eidem porrigere
carnes, licitè possunt, quia nimirum
infirmi sunt, & carnes concedere ijs de-
bemus, ne magis, magisque pravi hu-
mores augeantur, & infania creseat.
Idem meritò dicit propter paritatem ra-
tionis de amentibus in una sola materia
Leander, alijs citatis, *Præcepto Eccl. 4.*
di. 2. q. 45.

*Pueri, seu adolescentes ante
vigessimum primum annum.*

14. Inquites quartò, de non habenti-
bus annos viginti unum com-
pletos.

Respondeo, hos quidem obligari
ad abstinentiam à carnibus, & lactici-
niis in diebus vetitis, sed non obligari
ad jejunandum; hæc enim sunt duo
præcepta, & Ecclesia quidem hos ado-
lescentes deobligavit à jejunio, ne in
his impediretur cursus crescendi; at ab
abstinentia prædicta non invenimus
eos exemptos esse. Ita communiter
& tradit S. Thom. 2. 2. *quæst. 147. art.*
4. ad. 2.

15. Ne tamen hinc colligas, ado-
lescentes prædictos non obligari ad je-
junia, quæ ipsimet fortassè voverunt,
vel quæ cum discretionè imposuit Con-
fessarius in poenitentiam; ne, inquam,
id colligas, hæc enim sunt peculiare
obligationes, quas suscipere numquam
prohibuit Ecclesia, quemadmodum
non prohibuit, ne ob devotionem ij-
dem jejunent. Lege Azorium, Dia-
nam, Bossium apud Pasqualigum de-
cis 247.

Tambur. de Præcept. Eccles.

16. Subinquires: Cum certum
sit, adolescentem, qui vigesimum pri-
mum annum complet in media e. grat.
Quadagesima, obligari ad sequentia
Jejunia, non verò ad præcedentia; an
si compleat in prima hora mediæ noctis
eiusdem diei, quo adest præceptum Je-
junii, eodem die jejunare teneatur?

17. Respondeo, si compleat ex
eo, quòd is natus sit ipsa mediæ nocte,
ita ut prima hora jam dicta, fuerit ter-
minus extrinsecus suis natalis, hoc est,
initio dictæ primæ horæ jam inventus
sit natus, obligabitur, quia tunc totus
dies, cuius initium dat hæc prima ho-
ra, pertinent ad annum 22. talis ætatis,
in quo urget ieiunandi præceptum. At
si compleat ex eo, quòd natus sit in ipsa
prima hora mediæ noctis, ita ut dicta
prima hora sit terminus intrinsecus or-
tus sui, hoc est, in initio dictæ primæ
horæ non inventus sit natus, sed tunc
natus sit, non obligabitur, quia tunc
illa prima hora pertinet ad comple-
mentum intrinsecum anni 21. in quo
toto, atque adeò etiam in hoc comple-
mento haberet adolescens ille jus come-
dendi. Quare, cum possit hæc hora
plene comedere, & deinde non sit frau-
dandus communi refectione, quæ in
Jejunio conceditur, certe legitime bis
comederit plene, atque adeò ad jejunan-
dum non est amplius aptus. Atque
hæc deobligatio erit clarior, si annum
21. compleat hora 2. post mediam no-
ctem, vel 3. vel 4. vel cæteris.

18. Simile quid eveniet in se-
ne; non enim obligabitur jejunare
eo die, in cuius prima hora intrinse-
cè attingit annos 60. idque propter

Qq can-

AVRIN
in
AR
E III
o/b:

eandem rationem proportionaliter senibus applicandam.

Adolescens Religiosus.

19. **S**ubinquires secundò: Adolescens, si non completo vigesimo primo anno fiat Religiosus, obligabitur ad Jejunia indicta sub mortali à Religione? Nam ab Ecclesia non adstringi jam certò scimus, quia etiam ipsi sunt in ætate crescente.

20. Respondeo si sint indicta sub peccato gravi, obligari censet Bossius, id multis rationibus firmans: & ratio præcipua est: quia, qui assumunt Professionem religiosam, assumunt omnes obligationes illius Religionis. Ita dicitur Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. num. 3.* Atque hæc est communis opinio.

Verùm Pasqualigus *decis. 254.* ait, tunc solùm obligari ejusmodi adolescentem, quando præceptum jejunandi est indictum etiam pro adolescentibus; nam si ponatur sine hac clausula, intelligi imponi ad modum, & mensuram, quibus Ecclesia indicere solet; hæc autem non includit adolescentes ante 21. annum. Sicuti si quis voveat jejunare, vel sicuti si Confessarius imponat Jejunium; nec aliud addat; tunc hoc votum, & hæc pœnitentia explicatur sub conditionibus, quas solet Ecclesia; ita quando Religio sine majori explicatione, qua obliget etiam adolescentes, indicit sua Jejunia, hæc interpretanda sunt more Ecclesiæ, quæ, ut dictum est, non obligat ante 21. annum, quia leges particulares sumunt mensuram, & modum à lege universa-

li. Utraque sententia videtur probabilis.

2. Hanc eandem doctrinam extendere, si quando in aliqua Religione præcipiatur servari omnia Jejunia Ecclesiastica; nisi enim addatur sub peccato gravi etiam pro adolescentibus, intelligitur præceptum more Ecclesiæ. Quod idem puto de senibus Religiosis habentibus annos sexaginta.

Adolescens dubitans de sua ætate.

22. **S**ubinquires tertio: Si omnibus expensis, negativè dubitem, an expleverim 21. annum, teneor ad Jejunia Ecclesiastica observanda?

23. Respondeo, te non teneri, quia libertas, qua per totum tempus anni certò gaudes, non potest tolli præcepto dubio, de quo scilicet nondum constat, quòd obligare inciperit. Nam propter contrariam rationem si dubites, an 60. annos attigeris, qui in ætate eximitur quis, ut infra dicemus, ab obligatione Jejunii Ecclesiastici, jejunare teneris, quia obligatio, qua toto tempore antecedenti ligaris, non potest vinci ab exculatione annorum dubia. Ita communissima sententia cum Leandro *tract. 5. disp. 8. quest. 13.* alios adducente.

24. Quòd si probabile, sit te explevisse, & probabile item sit, te non explevisse annos 21. tunc potes sequi, quod mavis, quia non est major ratio, quòd alterutram probabilitatem sequaris. Verùm, si sit magis probabile, te explevisse, condemnat te ad Jejunia Pasqualigus *decis. 255.* quia hæc pro-

Probabilitas est probabilitas facti, non iuris; at in facto debet excipi probabilitas iudicium. Sed ex dictis à me alibi lib. 1. in decal. cap. 3. §. 3. num. 1-1. colligitur, te non esse condemnandum. Videatur Joann. Sanchez. disput. 3. à num. 49.

25. Petes: Quidam rusticus adolescentens nesciebat quot annos ageret, an scilicet expleverit annum 21. Idem ignorabat Senex quoad annos 60. obligabuntur ad Jejunium?

26. Respondeo: Si iisdem notam sui natalis habere aliunde, vel ex Baptismo, non possint, nec testes ullos habeant de sua ætate, tunc fiat, quod vel ipsemet, si sit prudens, vel Confessorius, vel peritus quisque iudicabit moraliter modo, habita scilicet ratione circumstantiarum, ex quibus ipsius ætas colligi potest; in hoc enim casu aliam notitiam habere nequimus, nisi prudentis viri iudicium. Dum autem hæc diligentia sunt, non obligarem ejusmodi hominem, quem ex aspectu adolescentem cognosco, ad Jejunium; quia nondum constat, quod is sit subiectus eiusmodi præcepto.

De senibus tuus erit locus latè dicendi infra cap. 10.

Peregrini, & Vagi.

27. Inquites quintò: peregrini, seu advenæ, & ii, qui nullibi domicilium fixum habent, vocarique solent vagi, & quomodo tenentur Jejunare, quando præceptum ieiunandi est additum loco? Nam eos omnes obligari ad Jejunia universaliter indicta ab Ecclesia, esse dubium non potest.

28. Respondeo quinque dictis. Dico primò, quando in loco tui Domicilii, e. g. Panormi non servatur Jejunium de præcepto, sed servatur in alio, e. g. Montregali, tu non teneris servare eiusmodi Jejunium, si ibi, hoc est, Montregali, sis in transitu per unum, vel paucos dies, quia neminem teneri (licet possit, si velit) servare præcepta alterius Diocesis, in qua est in transitu, est satis probabile. Legite Thomam Delbene de Immunitate cap. 11. dub. 1. ubi affert novem rationes pro hac doctrina, abstrahendo tamen à materia contractuum, qui semper celebrari debent juxta locorum consuetudinem. Quare licebit tibi comedere etiam carnes (sed semper remoto scandalo) & Pasqualigus quidem decis. 202. dicit, id verum esse, etiam si per multos dies ibi consistas, modò animum habeas non figendi in eo loco domicilium, sed hoc certè nimis laxè dictum est.

29. Dico secundò quando in loco tui domicilii, e. g. Panormi, servatur hodie Jejunium, hodie autem non servatur in Monte regali e. g. sed servabitur die sequenti, si à tuo Panormitano Territorio heri fortè egressus es, non obligaris hodie Jejunare, quia hodie non es Panormi; nam generaliter absens à tuo Territorio non tenetur servare statuta particularia talis Territorii, nisi statuta facta sint peculiariter pro absentibus, & in dicta materia contractuum, ut latè explicat Pasqualigus dec. 211. Nec obligaris die sequenti Jejunare Montregali, quia statuta peculiariter peregrinus, ut dictum est, non obligatur servare. Nec obligaberis Pa-

normi;

normi; quia die sequenti ibi non jejunatur. Atque id non est fraudare legem, sed ejus obligationem effugere, ut effugit, qui dispensationem petit, & obtinet. Ex qua paritate ducta ex petitione dictæ dispensationis, & ex aliis rationibus uterque Sanchez, Suarez, Castropal. alique apud Pasqualigum *decis. 214.* idem docent, etiamsi ideo egrediaris, ut fugias Jejunium.

30. Dico tertio si hodie egrediaris à loco, e. g. Panormo, ubi hodie servatur Jejunium, perventurus eodem die in locum, ubi non servatur, e. gr. in Montem regalem, non obligaris eodem die ad Jejunium, quia ex una parte, ut dictum est, statutum peculiare non obligat extra proprium Territorium, atque adeo obligatio, quæ est Panormi, in casu nostro non est in Monte regali, & ex alia parte tu es absens à civitate Panormi. Id autem procedit, etiamsi in tuo Territorio jejunetur ex vi universalis juris communis. Unde si in quatuor diebus ante primam Quadragesimæ inveniaris per transitum Mediolani, ubi in iis quatuor diebus non jejunatur, potes non jejunare, & feria quarta, & quinta comedere carnes, quia, cum sis absens à tuo Territorio, ab obligationibus, quæ ibi vigent, es liber. Et item potes, te velle conformare cum consuetudinibus illius regionis, ubi invenitis. Excipit tamen Pasqualigus *decis. 110.* Religiosos tum ibi consistentes, tum transeuntes, ex eo capite, quòd Religiosi habent suam Communitatem, suumque vivendi morem, & consequenter, si in aliqua Communitate sæcularium abrogatum est a-

liquod jus, non censetur abrogatum pro ipsis.

31. Subinquires an in eo casu, quo Panormi e. g. hodie jejunatur, possim hodie, manè, e. g. antequam discedam, comedere, quandoquidem sum perventurus eodem die in Montem regalem, ubi non jejunatur, & ubi ego conformem me reddendo Montregalensium moribus, possim jejunium non observare?

32. Respondeo te posse Panormi comedere cibos legales quantum libet, quia jejunium præcipitur, ut servetur, per totum integrum diem indivisibiliter; si ergo non obligaris propter accessum ad locum Montis regalis, per totum diem jejunare, liber à jejunio absolviè eris. Ita Thom. Sanchez *l. 1. mox citando.*

Dixi (*cibos legales*) quia non poteris comedere carnes Panormi; siquidem præceptum de carniū abstinence est negativum, & violatur toties, quoties. Quare te ligat pro quocumque tempore, quamvis brevissimo, quo Panormi existis.

33. Quòd si ponas è contra, Panormi non servari ullum jejunium, perventurus autem sis vespere, vel meridie in Montem regalem, ubi jejunium servatur, potes certè carnibus vesci Panormi; Panormi enim, ut supponimus, non servatur jejunium ullum, Montregali, deinde ex illo alio capite potes, remoto scandalo, carnes comedere, quia te advenam statutum Montregalente ex probabili sententia, ut jam dictum est, non afficit.

Quid

Quid denique, si tu Panormitani domicili, discessisti à civitate Montis regalis, in qua tu domicilium fixum non habes, & in qua non servatur jejunium, perventurus serò, vel meridie Panormum, in tuum scilicet domicilium, ubi jejunium servatur?


34. Respondet Thomas Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 10.* aliique cum distinctione. Si in Monte regali non fregisti jejunium, obligaberis, Panormum perueniens, jejunare. Si fregisti, non obligaberis. Ratio est, inquit, quia in priore casu aptus es ad jejunandum, ergo debes Panormi in tuo scilicet domicilio illud servare, quod ibi servandum ex præcepto est. In posteriore autem casu non es aptus ad ponendam rem præceptam; præcipitur enim jejunium indivisibiliter per integrum diem, quod servari tibi amplius non est possibile, quia illud jam fregisti, ut supponimus.

Respondet verò Joannes Sanchez *disp. 54. n. 4.* sive fregeris, sive non fregeris jejunium, te non obligari, quia quamvis non fregeris, frangere tamen poteris; unde non tenebaris, tunc jejunium servare; ergo neque teneberis postea per totum illum diem; siquidem mandatum jejuandi respicit integrum diem, & unum individuum. Hæc Joannes Sanchez. Sed omninò sententia, & distinctio Thom. Sanchez est præferenda. Nec huic opponas ea, quæ diximus num. 19. de adolescente nato, & complemente annum 21. una e. gr. hora post mediam noctem; ne id opponas, inquam, quia id propter pietatem Matris Ecclesie pro juve-

ne crescente majorem benignitatem sequi volumus, quam hic sequi, nequam debuimus.

35. Dico quartò: si Panormi in tuo territorio servatur jejunium peculiare, e. g. in vigilia S. Francisci ex vi statuti Diocesis Panormitanæ, & in alieno Territorio, e. g. Montis Regalis, servatur in eodem die jejunium peculiare ex vi statuti Diocesis Montis Regalis; si tu in alieno hoc Territorio transeunter inveniaris, non obligaris probabiliter jejunare, quia non ex vi statuti tui Territorij, siquidem jam existi ab illo; nec ex vi statuti alicui Territorij, quia ibi tu es peregrinus; ergo, &c. Ita Joannes Sanchez *loc. cit. num. 31.* & Pasqualigus *dec. 206.* contra Thomam Sanchez, aliòsque.

36. Dico quintò: Vagi, hoc est, qui nullam certam habent habitationem, donec Vagi sunt, non tenebuntur jejunare in jejniis peculiaribus civitatum, quia non sunt ibi commorantes, ut supponimus. Ita Jo. Sanchez *disp. cit. n. 34.* Pasqualigus *disp. 200.* citans Lessium, aliòsque contra Thom. Sanchez, Castropalaum, Merollam, aliòsque, qui tenent, vagos obligari non solùm legibus universalibus, ut diximus num. 37. verùm etiam peculiaribus statutis illorum locorum, in quibus inveniuntur. Cùm autem utrumque sit probabile, legantur rationes utrimque allatæ apud prædictos.



Qq 3

CA-

CAPUT III.

De abstinentia à carnibus diebus
vetitis.

Quid veniat nomine carniū?

1. **I**nquires primò: Quorumnam animalium carnes in die jejuniij, aliisque vetitis diebus comedi prohibentur?

2. Respondeo. Aliqui minus eruditi eam regulam tradunt, ut prohibita censentur carnes omnium animalium, quæ vivunt extra aquam, & vocantur terrestria, & volatilia, concessæ verò eorum, quæ in aqua vivunt, & appellantur aquatilia. Sed certè minus rectè, nam testudines, & limaces, terrestres sunt, & tamen admittuntur in die jejuniij, ut habet Azor, Reginaldus, Bonacina, aliique cum Leandro tract. 5. dist. 2. q. 9. qui addit etiam locustas, & ranas. Regala igitur illa debet sic commodius dari, ut prohibita censentur eorum animalium carnes, quas consuetus usus, & exstimatio Fidelium pro talibus usurpavit, habito respectu ad finem intentum ab Ecclesia, qui est, ut in jejunio non adhibeantur carnes, quæ sunt alimenta, multum nutriencia, ac multum reficientia corpus. Quæ autem animalia vix sanguinem habent, ut est limax; vel quæ habent valde frigidum, ut est testudo, suntque pisces omnes, qui non multum nutriunt, propterea à mensa jejunantium non excluduntur. Contra ea, quæ vividum, calidumque sanguinem habent, quales sunt vacca; boves,

oves, &c. quia nutriunt valde, repelluntur meritò à jejunantibus.

3. Hinc si fortè comedere quis non horreat mures, feles, vel perilliones, equos, canes, & similes, non tamen eos licitè valebit admittere in diebus vetitis, quia ad similitudinem eorum, quæ prohibentur, & attento sine Ecclesia, cum multum horum carnes sint nutritivæ, etiam ipsæ prohibita intelliguntur. Inter carnes numerant Fagundez, Leander, Pasqualigus citat, Camaleontem, & lacertas terrestres, quia carnei sunt, & inter carnes in communi exstimatione censentur.

4. Hinc præterea corvos, quos vocant, marinos, & aves omnes, quæ nutriuntur in aquis, quamvis laporem piscis habeant, inter carnes prohibitas connumerat Fagundez præcepto Ecol. 4. lib. 1. c. 2. n. 9.

5. Contra verò Bekrandus Lotth, tract. de jejunio q. 1. affirmat, quosdam anates nati in littore maris, Bononiensis in Picardia ex lignis navigiorum putridorum, de quibus, ait, fuit olim suborta quæstio inter Medicos, an in genere piscium essent collocandæ, an in genere avium. Inspectâ autem diligenter earum naturâ, proprietatibus, judicârunt, eas in genere piscium collocandas, vel ad illud reduci, eò quòd gaudeant sanguine frigido, sicut pisces, & continuò morentur in aquis. Ideò tutò possent comedi in Quadragesima, sicuti ibi passim comeduntur: esto, vestitæ sint plumis, sicuti anates terrestres, & formam illis non abfimilem habeant; quemadmodum, & multi pisces similem figuram habent cum mul.

multis animalibus terrestribus, nec propterea terrestria judicantur. Hæc ille. Ex qua doctrina vide, an è natura carniùm excludendi sint Camaleones, & lacertæ, & aves, quæ nutriuntur in aquis, quæ modò n. 3. inter carnes sunt à Fagundez, aliisque connumeratæ. Legite Cottonium in controversiis lib. 1. contro. 17. q. 1. qui multa ejusmodi animalia nata ex aquis affert, quæ tanquam pisces habentur apud illas nationes, ubi nascuntur. Legite item, quæ de carnibus viperarum diximus in Decalogo, mox citando.

Quæ partes animalium prohibeantur in diebus veniis?

6. Omnesne partes prædictorum animalium prohibentur?

Respondeo. Omnes, quæ constituunt, & integrantes ipsum animal; vetito enim illo, vetantur omnia, quæ illud integrantes: quare propter dictam rationem vetitæ etiam erunt cartilaginee, nervi, sanguis, jus ex carnibus cur etiam ex Leandro loco cit. q. 7. olera, seu herbæ coctæ in ipso jure) medulla, laridum, axuntia, pinguedo animalium prædictorum.

7. Quid de pinguedine porcina, igne liquefacta, quo pacto vocatur sagimen?

Respondeo. Idem dicendum esse, nempe recenseri inter carnes, quia ignis non mutat illius naturam, sicut nec idem ignis mutat illarum naturam, si concoquat alias carnes.

8. Signatè tamen dico (idem dicendum esse) nam quia modo docui-

mus, hæc in re maximè esse attendendum usum Christianorum, eorùmque existimationem; probabile autem est apud Christianos, sagimen ex sue, seu ex larido, axuntiaque porcina, ignis vi liquefactis, inter lacticia numerari, ut putat Ludovicus à Cruce disp. 1. c. 5. dub. 16. de Bulla Cruciatæ. Pasqualigus cum aliis ab eodem citatis decis. 74. & probabile item est, numerari inter carnes, ut putat Fagundez Præcepto Eccl. 4. lib. 1. c. 2. n. 20. & Leander loco cit. quæst. 35. cum aliis, ideo probabile erit, posse, & debere sagimen rejici à diebus vetantibus lacticia, & item probabile, posse recipi, saltem ubi est talis consuetudo illud recipiendi; quam esse in Regno Sicilia, tenet Diana part. 1. tract. 9. resol. 21.

9. Dicitur est de pinguedine liquefacta ex porcina. Quid, si sit liquefacta ex adipe aliorum animalium, gallinarum, anserum, cervorum & similiarum?

10. Respondeo. Non intelligi saltem in nostro Regno Sicilia nomine lacticianorum. Ratio est, quia fundamentum, unde diximus, probabile esse, intelligi sagimen porcinum, est, quia in nostris Regionibus illud in communi omnium existimatione connumeratur inter lacticia; at non video, sagimen aliorum animalium, cum rarum sit, ita connumerari; tanta enim raritas non potuit parere communem existimationem. Quare licet physicè eadem sit ratio de hoc, ac de suo illo, non est tamen moraliter, & ita sustinet Bardi p. 2. de Bulla Cruciatæ tr. 3. c. 3. n. 15. & 16.

II. Ni-

11. Nihilominus quod ejusmodi pinguedo liquefacta ex gallinis, antebus, similibus sit numeranda inter lacticia, docet Layman *libi 4. tr. 8. cap. 1. n. 5.* & Pasquallus de jejuniis *decif. 74.* quia pinguedo non est caro, ut ait Arist. *p. de gener. animalium cap. 18. circa finem.* Pinguedo enim est excrementum bonitate substantiæ salubre, & illa ignis calore liquefit, quod non habet caro; unde potius convenit cum ovis, & lacticiis, nam originem trahit à carne, sicuti ova, & lac. Hinc Gobat in *Cliepo Clementium Indicum n. 202.* sic docet: Meminerit Confessarius Laymannum sapienter observare, non esse Teutonibus in Germania movendum scrupulum peccati mortalis, quando loco butiri, utuntur sagmine, seu pinguedine anserum ad condiendos cibos illis diebus, quibus fas est vesci ovis, & caseo; illa enim pinguedo non est caro, & consuetudo abstinenti ab ea, non videtur saltem in Germania introducta cum intentione, se obligandi sub mortali. Hactenus Gobat, quem tamen in nostris regionibus propter rationem dictam n. 11. sequi nequaquam placet.

12. Quid denique de ovis, quæ vocantur, & certè sunt non nata?

Respondeo. Dixi *libi 4. in Decal. c. 3. §. 1. n. 19.* & nunc confirmo, hæc numerari inter lacticia, non verò racemum, unde ea pendent, quia illa sunt eadem substantia, ac ova, hæc verò est ipsissima caro. Bardi *loc. cit. refugit,* numerari inter lacticia ovicula illa instar acini, quæ dicto racemum sunt annexa, & affixa, quia adhuc, inquit,

recinent naturam sanguinis, & nondum sunt in ovi substantiam convertitæ, sed profectò sapor, color, aliæque omnia ostendunt, ea non esse sanguinem, sed iam concreta in substantiam ovi.

Abstinentia à carnibus estne de substantia jejuniij?

13. Inquires secundò: an constare jejunium possit cum comestione carniū? hoc est, an si quis semel comederet in meridie carnes, & vesperè solitam refectunculam sumeret, dice-retur Ecclesiasticè jejunare?

14. Respondeo nequaquam: abstinentia enim à carnibus est de essentia jejuniij: sic enim sunt jejunia Ecclesiastica instituta: id quod universalissima consuetudo ab omnibus Doctoribus confirmata, satis, superque probat. Abstinentia autem à lacticiis, quæ in jure Canonico *Capitulo, Denique distinct. 4. num. 1.* dicitur, tementinam originem trahere à carnibus, non sunt de jejuniij essentia; nam stat jejunium Ecclesiasticum cum horum comestione, ut patet in comedente illa tempore Quadragesimæ ex privilegio Bullæ Cruciatæ.

15. Quoniam verò abstinentia à carnibus est præceptum negativum, ut item abstinentia lacticiis in diebus, in quibus hæc vetantur (de qua re infra) idè toties peccabitur à fidelibus, quoties in die vetitò illa comedentur; hoc enim discrimen habent præcepta negativa ab affirmativis; ut negativa prohibeantur semper, & pro semper, quale est e. g. præceptum non blasphemandi; affirmativa verò

solùm præcipiantur pro aliquo determinato tempore; quale est e. g. de audiendo Sacro, quod præcipitur pro diebus festivis. Vide aliqua huc pertinentia infra c. 9. §. 3. notandum.

16. Ex dictis sequitur primò dispensatum ad comedendas carnes, non teneri ad jejunium; nam comedens carnes non potest ponere jejunii substantiam, quæ cum carnibus constare non potest: quare huic impossibile est jejunium, ad impossibile autem nemo tenetur.

17. Porro hic nonnulli censent, dispensatum ad carnes ob debilitatem vitium, posse pluries eodem die comedere, & non observare jejunium; non verò dispensatum ad easdem ob detrimentum, quod viliores cibi illi afferunt; & sic putat Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 6.

18. Sed tenendum est, neutrum ex his obligari ad jejunium servandum; quia neuter essentiam jejunii ponere potest, ut bene advertit Joan. Sanchez disp. 51. num. 1.

19. Quid, si quis dispensaretur solùm, ut semel carnes comederet?

20. Respondeo cum eodem Joan. Sanchez disp. 54. num. 15. hunc non posse, nisi semel, carnes comedere, quia pro semel concessa est licentia, ut supponis; at poterit alios sumere cibos, quoties voluerit; quia propter comestionem carnis etiã unicam, factum est illi impossibile jejunium. Illud autem hic adverte; quando quis aliquem dispensat ad carnes (nisi aliqua circumstantia contrarium suadeat.) intelligi absolute, & per totum illum

Tambur. de Præcept. Eccles.

diem; quare regulariter poterit dispensatus eas multoties comedere.

21. Ex dictis item sequitur secundo, cui licet comedere carnes, licere & lacticiis vesci, quia dispensatus, seu excusatus ad majus, censetur etiam ad minus in eodem genere; unde poterit etiam comedere pisces. Quòd si alicui dispensato ad carnes noceant pisces, peccabit is quidem contra temperantiam virtutem, vel contra charitatem sui ipsius, sed contra præceptum ieiunandi, nisi fortè in aliqua diocesi sit statutum, ne simul comedantur pisces, & carnes, quale esse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in Diocesi Tolerana, refert Leander, tractat. 5. disputat. 1. quest. 30.

22. Sequitur tertio eum, qui inadvertenter in die ieiunii carnes notabilis quantitatis comedit, & in eodem die advertit tunc adesse præceptum ieiunandi, posse adhuc pluries comedere cibos legales, non autem carnes. Ratio est, quia comestio carnis adhuc inadvertenter facta, carnis comestio est; adeoque eas comedentem facit ineptum ieiunio, cum non possit ponere ieiunii essentiam. At iterum carnes comedere, nequibit; quia præceptum negativam de abstinentia carniùm toto perdurat, ut dictum est, die. Ita Basilius Pontius contra Manriquez, apud Dianam part. 9. tractat. 6. resolut. 28.

23. Sequitur quartò, quid dicendum sit, si quis dispensatus ad comedendas carnes eodem die manducare eas nolit, & reipta non manducet, obligabitur ne eo die ieiunium observare?


Rr

24. Sa

24. Sanè ex dictis sequi videtur, obligari; quia cum jam non comederit carnes, est aptus ad ponendam essentiam jejunii.

Nihilominus probabilius censeo, non obligari; quia per dispensationem, per quam comedit carnes, vel per quam potest carnes comedere, ablatum est ei vinculum, seu præceptum jejunandi; qui enim dispensat ad carnes, dispensat à jejunio, quod cum carnibus stare nequit. Ita cum aliis Diana p. 9. tr. 6. ref. 11.

25. Hac in re Thomas Sanchez, lib. 5. Consiliorum cap. 1. dub. 30. n. 3. & 4. alique distinguunt. Si enim, ajunt, sis dispensatus ad carnes ob debilitatem virium, potes non jejunare; si verò sis dispensatus ad carnes ex eo, quod notabiliter noceant tibi cibi legales, obligaris observare jejunium eo die, quo solùm legales comedis; quia non habes excusationem, ex eo, quod non valeas ponere essentiam jejunii; jam enim non comedis carnes impossibiles cum jejunio. Verùm animo nequaquam sedet hæc distinctio; siquidem esto, non sis libera jejunio ex eo capite, quod carnes comederis, excusaberis ex alio, quia scilicet ratio dispensationis, quæ fuit ducta à damno tuæ salutis, jam adest etiam hoc die; quare etiam adest, seu constat dispensatio; neque enim te vesci ex libitu cibi nocivis dispensationem tollit, nec facit, quod ij nocivi, tibi non sint nocivi.



Quandonam pluries peccat, qui pluries in die vetito comedit carnes?

26. Inquires tertio: Semperne pluries peccat, qui pluries carnes comedit in die vetito?

Respondeo: Certum est, cum, qui post sufficientem distantiam pluries eorum manducationes facit, e. g. mane, meridie, vespere, plura numero peccata committere, quia, ut diximus, hoc præceptum est negativum obligans semper, & ad semper. Non ita est, si pluries comedas cibos legales; nam cum in jejunio solùm concedatur una plena refectio in meridie, & solùm una refectiuncula serò, si quis secundam plenam refectionem faciat, peccabit, quidem, quia sic frangit jejunium. Verùm si deinde aliam ex prædictis cibis legalibus, & aliam faciat, non peccabit amplius, quia fracto semel jejunio per dictam secundam plenam refectionem, non est amplius aptus ad illud ponendum, atque adeò iterum, & iterum non peccabit, quia ire contra præceptum, quod observari, est impossibile, peccatum non est.

27. Dixi (per sufficientem distantiam.) Illud enim hæc difficile est in praxi, quoniam modo cognoscere, valeamus, quænam distantia sufficit, & requiratur ad patrandam hac in re plura numero peccata, quæve continuatio ad ponendum unum duntaxat.

28. Dico primò, si quis initio mensæ, e. g. comedat ferculum ex carnibus, mox comedat pisces, deinde in finem iterum redeat ad carnes, unum

tantum numero peccatum committere. Ratio est, quia dicta comestiones, licet physice sint plures, moraliter tamen, quia ununtur in una refectione, censentur una transgressio præcepti.

29. Dico secundò, si interrumpatur dicta comestio per alia negotia inter media, non nisi prudentis viri iudicio decernendum esse, an si iterum redeatur ad carnes comedendas, confectur una moraliter actio, se reficiendi, an censentur plures. Certè si post horam redeatur, non puto confari unam, quia est sufficiens distantia. Si verò post quadrantem, censo confari unam moraliter, quia tam breve tempus non distrahit illas actiones comedendi moraliter.

30. Quares hac occasione, Qui non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex voto, vel ex penitentia imposta à Confessario hodie e. g. ieiunare debet, si pluries comedit carnes, plurane numero peccata committet?

31. Respondeo, primò. Ita putant Azor, & Suarez apud Pasqualigum mox citandum; quia tum vovens, tum Confessarius imponens ieiunium, imponit illud modo, & more Ecclesiastico, quod duas habet separatas obligationes, nempe unam dumtaxat plenam refectionem sumendi, alteram à carnibus toto die per præceptum negativum abstinendi.

32. Respondeo, secundò. Non ita putat Layman. Thomas Sanchez, Faustus, Leander, quos citat, sequiturque Pasqualigus *dec. 457.* quia abstinencia à carnibus non cadit sub intentionem vovens, nec Confessarii

(si aliud expressè non addatur) nisi quatenus est necessaria pro ieiunio, & quatenus est inclusa in ieiunio; ergo semel violato (quamvis cum peccato) ieiunio, cum ampliùs locum non habeat observantia voti, vel penitentia, non obligabitur ad abstinentiam à carnibus, quæ solum cadebat in obligationem, quatenus debebat cum ieiunio conjungi; id quod certè non est in ieiunio Ecclesiastico, quia hoc habet duas dictas obligationes, per se separatas, ut apparet in adolescentibus, & senibus lupradictis, in quibus non obligat ieiunium, remanet tamen obligatio abstinendi à carnibus, quod idem est in diebus feriæ sextæ, & sabbati totius anni. Utraque responsio probabilis est.

33. Dices, si ex hac secunda responsione abstinentia à carnibus non cadit sub intentionem vovens ieiunium, nisi quatenus est necessaria pro ipso ieiunio, sequitur, quòd si quis non obligetur ex vi voti ieiunare in die, quo non veratur carniū comestio, e. g. hoc de libero à ieiunio Ecclesiastico, sequitur, inquam, posse comedere carnes sine peccato, quia si is non obligatur ex voto ieiunare, non obligabitur abstinere à carnibus, quæ abstinentia non cadit sub votum, nisi ut necessaria ad ieiunium. Id posset occurrere, quando aliqua communitas voveret in vigilia, e. g. sui Patroni ieiunare, e. g. hic Panormi in vigilia maculata Conceptionis S. Virginis, de qua re diximus *supra r. 1. c. 7. n. 23.* tunc enim adolescentes ante 21. annum, ac sexagenarij (nisi utriusque hi peculiari suo voto se personaliter obligassent) non tenerentur abstinere

à carnibus, quia ex una parte votum jejunii, ut diximus supra *cap. 2. num. 20.* intelligitur emitti juxta morem Ecclesie, mos autem Ecclesie est, ut non obliget Fideles in illa aetate, & ex alia parte posito, quod hi non obligantur ad jejunium, non obligabuntur ad abstinenciam à carnibus, quæ solùm in hac secunda responsione debet servari, ut necessariò inclusa in ipso jejunio.

34. Respondeo sanè negari non posse, id sequi ex hac secunda responsione, quam probabilem esse modò pronunciamus, & consequenter id etiam esse probabile. De hac quaestiuncula lege Excobar. *vol. 4. lib. 29. sect. 2. de 2. precepto problemate 98.*

CAPUT IV.

De abstinencia à lacticiis in diebus vetitis.

1. **N**omine lacticiniorum veniunt lac cujuscunque animalis, caseus, butyrum, alique ex lacte confecta, ova quoque, & alicubi sagimen ex sue, modo, quo diximus *cap. preced. à num. 8.*

2. Jam quæres primò: Quando nam hæc à Fidelibus comedi prohibentur?

Respondeo, de tribus temporibus dubitationem esse posse, primò, de feriis sextis, & sabbatis totius anni, secundò, de diebus jejunii in vigiliis, & quatuor Temporibus, tertio de diebus Quadragesimæ, Jam de singulis.

Usus lacticiniorum in Ferijs sextis, & sabbatis.

3. **I**n feriis sextis, & sabbatis totius anni, si tunc non incidit, vel vigilia, vel quatuor Tempora, vel Quadragesima, licet Fideles lacticiis utantur; siquidem nullibi in Sacris Canonibus id prohibetur. Quòd si alicubi sit legitima, & approbata consuetudo abstinendi ab illis, ea servanda est. Certè in nostro Siciliae Regno ea non viget; & quamvis in aliquibus pagis, & apud rusticos, vel mulierculas nonnulli religioni sibi vertant, si ea comedant; tamen doctiores de veritate eòs instruere, ne peccent ex conscientia erronea, operæ pretium est. Ita docent Doctores, quos mox proferemus, dum dicunt licere edere lactinia in omnibus diebus extra Quadragesimam,

In Vigilijs, & quatuor Temporibus extra Quadragesimam.

4. **N**eque in his, quæ sunt instituta ab Ecclesia, est in jure prohibitio comedendi lactinia, ut testantur Vasq. Villalob. Sanchez, alique cum Diana *p. 1. tract. 9. ref. 41.*

Dico (Instituta ab Ecclesia) quia præscindimus ab obligatione votentium, vel institutorum in religionibus, vel ab impositis à Confessario, de quibus mox *n. 6.*

Major difficultas est, an adsit legitima consuetudo; & tamen idem Vasq. *part. 2. tract. 2. disp. 177. cap. 6. n. 34.* advertit, eam non adesse in Hispanijs, & locis, ubi promulgatur Bulla Cruciatæ; cum enim per hanc comedantur

Vicē in his jejuniis lactinia, & major pars Fidelium eamumat, illaque comedat, non potest allegari contra lactiniorum usum consuetudo, quia nequit prudenter cognosci, an sit hæc prohibitio, quando major pars Fidelium per Bullam comedit, & Diana quidem *loc. cit. ref. 6.* notat ejusmodi prohibentem consuetudinem non adesse in nostro Sicilia Regno. In aliis locis qui libet seruet, quod legitime statutum, seu consuetum est.

5. Juvat etiam legere Pasq. *decif. 69.* ubi contendit probare, nullam adesse obligationem ratione consuetudinis abstinendi à lactiniis in prædictis diebus, additque *decif. 70.* quamvis hæc consuetudo esset legitime introducta pro sæcularibus, non tamen illa ligandos fore religiosos, quia cum hi sint in diverso statu, & ordine, habeantque sua propria onera, non tenentur consuetudinibus sæcularium, nisi ex proprio jure, vel voto alias obligarentur. Id quod etiam tenet Leander *n. 4. præcepto Eccl. disp. 3. q. 7.*

6. Denique sic habet Quintanaduennas *tom. 2. singular. tr. 3. sing. 22.* concedens lactinia in omnibus diebus, vel jejuniis extra, Quadragesimam.

7. Ultimò igitur addo, quòd si in aliquibus Hispaniæ, ac etiam in Dicecelsi Granatensis locis introducta est abstinentia ab ovis, & lactiniis in sextis feriis, aut jejuniis extra Quadragesimam, adhuc hæc consuetudo non obligaret, nec vim legis haberet. Ut Sanchez *tom. 2. Consl. lib. 5. cap. 1. dub. 21. num. 2.* probat, quia non esset in-

ducta à maiore parte populi; maior enim illius pars Bullam habet, nec induceretur animo se obligandi ad peccatum, sed ex ignorantia, ac errore. Et quando dubium esset, an obligaret, & an omnibus requisitis inducta esset, melior est conditio possidentis; unde consuetudinem hanc, ita ad hoc obligantem in Hispania, aut alibi, non adesse sentiunt Henriquez, Vasquez, Villalob. Fill. Portella, Joannes Sanchez, Bossius Trullench, quos citat, & sequitur Pasqualigus *dec. 69. num. 2.* Hactenus Quintanaduennas.

Hanc eandem sententiam, quòd extra Quadragesimam liceat semper comedere lactinia, tenent Salas, Henriquez, Portella, aliique, quos n. 614. citat, & sequitur Verde in defensione, quam pro Caramuele habet contra Borgiam; ubi numero præcedenti merito reprehendit aliquos Doctores, quos non nominat, qui ausi sunt pronuntiare, hanc sententiam esse corruptelæ obnoxiam, & flammis devotendam.

9. Ex prædicta doctrina sequitur, si quis voverit jejunium, vel ipsi jejunium impositum sit à Confessario, vel jejunium à Summo Pontifice assignetur exhibendum ad Jubilæum lucrandum, posse hunc ejusmodi jeunia exequi comedendo lactinia; nam, quia constat essentia Jeunii Ecclesiastici cum lactiniis, Vovens, Confessarius, Pontifex nisi expressè ad aliud strictius obligent; judicantur solùm obligari ad Jejunium more Ecclesiastico, cuius essentia, ut dictum est, lactinia non excludit. Ita Diana *loc. cit. ref.*

R r 3

4.

4. & 5. Bardi Bulla Cruciate p. 2. 11. 2.
c. 3. sect. 10.

In Quadragesima.

10. **N**on defuerunt olim, qui etiam in Quadragesima lactinia concedere voluerint induci ab illis rationibus, quas diximus n. 5. facere pro jeuniis extra Quadragesimam. Hodie verò hæc sententia prohibita est, eiusque praxis in virtute Sanctæ Obedientiæ interdicta. Nam inter cæteras propositiones, quas damnavit Decretum SS. Alexandri VII. Anno 1665. & 1666. invenitur hæc num. 32.

(*Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lactinia in Quadragesima obliget.*)

Quare si per SS. Pontificem est evidens, quòd hæc consuetudo obliget, nemo de illa dubitare, amplius jam poterit.

11. **Q**uæres: hæc prohibitio intelligiturne etiam de Dominicis dictæ Quadragesimæ?

Respondeo, etiam; nam etiam illæ sunt in quadragesima; vox enim quadragesima in iure, & in usu item communi loquendi non significat solum quadraginta dies Jeuniorum, sed totum decursum dierum à feria IV. Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum, inclusivè.

12. **I**llud hic non est omittendum, si quis in Quadragesima sine necessitate, vel sine dispensatione (qualis certè est illa, quam concedit Bulla Cruciatæ, de qua mox) comedit lactinia, peccare quidem mortaliter contra præceptum, jam explicatum à prædicto SS. Alexandro

VII. sed tamen sic observare Jejunium Quadragesimæ; siquidem, ut modò dictum est, constat cum lactiniis Ecclesiasticum Jejunium, ut bene notat Leander *tract. 5. disp. 3. quest. 14.* secus, qui semel comederet lactinia in die Jejunii, non obligaretur illo die amplius jeunare, quod nemo dixit, ut patet in habente prædictam Bullam; qui quamvis comedit lactinia, tamen jeunare omninò tenetur. Non sic, qui carnes, vel semel, comedit; nam cum carniū comestio, ut supra vidimus, destruat Jejunii essentiam, sic comedens carnes factus jam ineptus ad essentiam Jejunii, illud servare eo die amplius non potest; unde nec tenetur, sed solum obligabitur ad abstinentiam iteratæ carniū comestionis, ut supra etiam explicatum est latis.

An in jeuniis Quadragesima comedi possint biscotti, ex ovis immixtis confecti?

13. **Q**uæstio non est, si valde paucos biscottos ejusmodi tunc comedas; eo enim casu ex parvitate materiæ à peccato mortali excusaberis; quæ autem sit hæc parvitas materiæ in ovis, & lactiniis infra, Deo dante, decernemus. Et rursus non est quæstio de pane, quem appellamus Hispanum, vel de similibus biscottis, in quibus magna pars ovorum, & lactiniorum invenitur; tunc enim manducarentur ova, & lactinia in magna quantitate, & consequenter mortaliter peccaretur. Quæstio igitur est, an de biscottis, in quibus, ut solet fieri, modica ovorum, vel butiri, vel similis

pari, ut dictum est, immiscetur, possit tunc in magna quantitate sumi.

14. Non posse, contendit Leand. *diss. 5. cit.* quia tunc sumerentur ova, & lactinia in quantitate notabili; si enim unum ovum conflat, ut fertur, decem biscoctos, qui viginti comederet, sanè duo ova comederet; at quis dicit, comedentem duo ova in Jejunio, ova excludente, non ire contra præceptum de ovis non comedendis?

15. Posse, docet Pasqualigus *dec. 83.* quia tamen, ait, in tanta quantitate ovorum seorsim sumpta comedere, illa non liceret in dictis diebus; immixta tamen, & dispersa ea quantitas in huiusmodi biscoctis, est ita absorpta in substantia panis, ut non censeatur moraliter comedere ova is, qui panem illum biscoctum comedit.

16. Ego censeo, tunc solùm in magna quantitate hos biscoctos immixtis ovis confectos licitè comedi posse in dictis diebus veteris, quando in singulis biscoctis adeò est parva ovi, vel butyri substantia, ut ipsa coctione veluti evanescat ovi, vel butyri substantia. Nam secus, quinam negare poterit, multa pauca facere posse unum factis, & ita te verè in stomacho notabilem quantitatem ovorum habere, atq; ab illis commodè nutriri?

Quid concedat Bulla Cruciatæ quoad carnes, & lactinia in diebus veteris?

17. **V**erba prædictæ Bullæ hæc sunt. *Item, ut durante dicto anno intra ipsa Hispaniarum Regna, & non extra, carnis de consilio utriusque mo-*

dici temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadragesimalium vesci, ac pro eorum libitu ovis, & lactinis. Itaq; qui carnes comederint, servata in cæteris jejuniij Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur.

Excipiuntur ab indulto vescendi ovis & lactinis quoad Quadragesimalia jejunia tantùm Patriarchæ, Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Superiores, vel inferiores Prælati, & qualibet persona regularis, & ex secularibus illi, qui in Præbyteratus ordine constituti sunt, nisi hi fuerint sexagenarij.

Hactenus Clausula Bullæ.

18. Circa hæc inquirens quartò: hoc privilegio, tum quoad carnes, tum quoad lactinia, possuntne habentes Bullam uti extra Regnum Siciliae, seu extra illa regna Regis Hispaniæ, in quibus promulgatur Bulla?

19. Respondeo. Non posse, quia nimis id clarè patet in Bullæ tenore, ibi (*intra ipsa Hispania Regis Regna, & non extra.*) Quare si tu habens Bullam Panormi, te conferas Neapolim e. gr. ibi hoc privilegio, vescendi prohibitis, frui non potes: potes autem, si eas in quamlibet Siciliae partem, ut etiam si adeas in Hispaniam, aliæque Regna Regis Hispaniæ, in quibus Bullæ promulgatio conceditur.

20. Inquirens quintò: qua ratione intelligendum sit illud privilegium de comedendis carnibus?

Respondeo. Id explicabitur, respondendo tribus dubitationibus, quæ hæc in re fieri possunt.

21. Dubitatur enim primò, quid emolumentum afferat hoc privilegium, quan-

quandoquidem requirat consilium utriusque Medici, id est, Confessarii, & Medici temporalis? Nam, vel certus sum, me ob infirmitatem gravem posse comedere carnes, & tunc licitè possum illis vesci sine illius consilio. Quòd si sim incertus, & Medicus solùm corporalis declaret, me carnibus indigere, etiam possum liberè, ut ex se patet; vel sum certus, vel certus reddor à Medico, me non indigere carnibus, & tunc nullo modo illis licitè vesci possum; vel denique sum in dubio, & dubius est Medicus de mea indigentia; & tunc probabile putant nonnulli, ut alibi nos diximus, me posse iis vesci, ne scilicet in periculum certum gravis morbi dilabar, quo periculo stante (ut quando est dubia mea indigentia, periculum semper stat) certè non obligor, ajuunt hi, ad abstinendum à carnibus. Quid ergo emolumentum affert Bulla?

22. Respondeo. Emolumentum esse, quia est alia sententia, & quidem communior docens in prædicto dubio esse obediendum præcepto; præceptum enim abstinendi à carnibus die vetito est certum; excusatio autem; ut hic supponimus, est dubia, unde prævalere debet certitudo præcepti; ideo Pontifex, sequentibus, ne scrupulis sit locus, concedit per Bullam ejusmodi comestionem. Adde & aliud emolumentum, ut habet Ludovicus à Cruce de Bulla disp. I. cap. 5. dub. 10. nam Pontifex habenti Bullam concedit, ut qui in reliquis formam jejunii servet, hoc est, si semel tantùm plenè comedat, censetur implere præceptum

jejunandi, & sic consequenter jejunii meritum, quod certè est magnum privilegium.

23. Dubitatur secundo, quid intelligatur nomine utriusque Medici?

Respondeo. Quoad primum intelligi quemlibet Confessarium, etiam non sit tuus, quia etiam is medicus spiritalis est, & quia in foro conscientie omnes Confessarii reputantur, ut unum quid. Ita Gallegus cap. 6. de Bulla dicitur 45. addens, satis esse, si id consilium detur extra confessionem; non enim Bulla Confessionem actualem hic requirit; immò idem docet, satis esse quemlibet Sacerdotem, quamvis non approbatum ab Ordinario ad Confessiones suscipiendas, quia etiam hic potest absolvi à venialibus, & absolvi dici potest Confessarius; quidquid in oppositum dicat Mendo in appendice Bullæ disp. 2. c. 8.

Quoad secundum difficultas est, utrum sicuti certum est, Doctorem in medicina sufficientem esse, ita quemlibet, nec Doctorem, nec scientiam medicinæ profitentem, sed hominem, ut etiam mulierem in medicandis ægrotis expertum?

Respondeo. Sufficere, quia nomine medici non intelligitur ad litteram, qui doctoratus laureâ est insignitus; nam si est Doctor, sed tamen mihi constaret, esse inexpertum, non sufficeret, esset enim directè contra mentem Pontificis. Intelligitur ergo, qui est peritus, unde rectè de hac re dixit Henricus lib. 6. cap. 13. si modò medicus, aut expertus vir explicet subesse causam.

24. Dubitatur tertio, an hoc privilegium valeat non modo pro diebus Jejuniorum (ut loquitur Bulla Latina) verum etiam pro diebus totius anni, quando non est Jejunium ? nempe pro diebus feriæ sextæ, & sabbati (ut habet Bulla Italica.)

Respondeo, Etiam pro diebus totius anni, propter rationem ductam à potestate Commissarii potentis Bullam declarare, qui signatè id in Bulla Italica declarare proficitur. Adde illud Bullæ Latinæ, (*Pro diebus Jejuniorum*) legitime posse extendi ad dies feriæ sextæ, & sabbati, quia à Sacris Canonibus hi dies vocantur etiam dies Jejunii, licet non tam rigorosi, ut sunt quadragesimales.

25. Dubitatur quarto, An dispensatus ad carnes, modo dicto, per Bullam, possit pluries in eodem die carnes comedere ?

Respondeo, Esse valde probabile, posse, si Confessarius, & Medicus non restringant licentiam, illas comedendi, id quod universaliter dixi *supra* cap. 3. n. 21.

26. Inquires sexto : pro quibusnam temporibus datur hoc privilegium Bullæ comedendi lacticiam ?

27. Respondeo dari primo, pro feriis sextis, & sabbatis cujuscumque hebdomadæ, secundo, pro vigiliis, & quatuor Temporibus, tertio pro Quadragesima.

Et quidem pro Quadragesima, hoc clarè est privilegium, quia tunc sine Bulla esset à lacticiis abstinendum ; in cæteris autem diebus anni est privilegium pro locis illis, ubi fortè legitima

Tambur. de Precept. Eccles.

est consuetudo non comedendi tunc lacticiam ; immo etiam in alijs locis, ubi est consuetudo tunc comedendi lacticiam, est etiam privilegium ; nam per illud sedantur saltem conscientie timoratorum.

28. Dubitatur hæc quinto, an qui habet Bullam, possit velci lacticiis in jejunis ex voto, & Pœnitentis Sacramentali, & ex Jubilæo.

29. Respondeo affirmativè, nam si est probabile, ut supra diximus, te illis satisfacere sine Bulla, quando aliud expressum non fuit ; multo magis cum illa ; si tamen pati modo aliud expressum non fuit à vovente, à Confessario, à Pontifice ; nam si fuit aliud strictius expressum, ad illud non se extendit Bulla, quæ solum dispensat in jure communi.

30. Dubitatur sexto : Minor viginti uno anno, qui non jejunat in die e. g. Quadragesimæ, potestne tunc lacticiam cum Bulla comedere ? Idem quaeritur de alijs non obligatis ad jejunium.

Respondeo, posse, quia privilegium hoc, quoad lacticiam, est absolute concessum, & quidem ad libitum, nec restrictum ad conditionem jejunandi.

Exceptiones ab hoc Privilegio.

31. Inquires septimo : Qua ratione intelligenda est illa exceptio (*excipiuntur Patriarchæ, &c.*)

32. Respondeo sic intelligendam esse, ut primo, Prælati omnes. Secundo, quævis persona Regularis. Tertio, omnes Præbyteri Sæculares, nisi

Ss.

hi

VRIN
n
p
AR
E III
oib.

hi fuerint sexagenarij, non possint cum hac Bulla vesci lacticiis in diebus Quadragesimalibus.

Dico (in diebus Quadragesimalibus) nam certè possunt in sextis feriis, & sabbatis, in jejuniis vigiliarum, & quatuor Temporibus, quæ non incidunt in Quadragesimam. Ratio est, quia Bulla solum Quadragesimæ jejunia excipit.

Jam verò aliquid delibemus de singulis prædictis Classibus.

33. Quoad Prælatos scito, eos esse primò, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos. Secundò, alios Prælatos inferiores, ut Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Superiores locales, Ordinarios; hi enim omnes sunt Prælati habentes, ut supponimus Jurisdictionem ordinariam, eamque spirituales. Hi igitur omnes non possunt frui hac Bulla communi pro privilegio vescendi lacticiis. Consultò dixi (hac Bulla communi) nam per aliam poterunt ii, quos paulò post exponemus.

34. Nota autem inter Episcopos non includi Episcopos solum electos, sed nondum confirmatos à Pontifice, nam hi verè nondum sunt Episcopi.

35. Sed dubitatur, quid, si sit confirmatus, sed nondum consecratus?

Respondeo, excludi, quia verè tunc acquisivit potestatem Episcopalem exercendi jurisdictionem temporalem, & spirituales, unde potest censuras ferre, approbare Confessarios, aliquas indulgentias concedere, &c. Dico (potest) nam ceterum, ut illam actu exerceat, debet accepisse possessionem Episcopatus; id quod rectè notat Azo-

rius, *part. 2. lib. 3. quest. 9. ex cap. in juncta de electione in extravaganti communi.*

36. Quoad personas regulares, scito, eos esse illos omnes, qui professionem Religiosam emisissent per vota; Hinc excluduntur ab hoc indulto Religiosi, etiam Laici, etiam Moniales, etiam Convertæ, etiam Scholares, ex votis bienniis Soc. Jesu, quia omnes sunt verè Religiosi. Contra non excluduntur Novitii, vel Tertiarii (*Moche de Casa*) nec Tertiarii, nec patii Eremitæ, nec Scholares Societatis Jesu, si fuerint legitime dimissi; quia omnes hi non sunt verè Religiosi, ut notat Trullench. *lib. 1. quest. 4. dub. 5. aliique.*

37. Dubitatur hic primò, de Religiosis Ordinum Militarium,

Respondeo, hos includi à Bulla quoad hoc privilegium vescendi lacticiis, nam non solum Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, aliique similes, de quibus est controversia, an sint Religiosi; verum etiam Equites Hierosolymitani, quos Militantes appellamus, hoc Privilegium vescendi lacticiis participant, si Bullam legitime sumant, ut patet in Summario Bullæ vulgari, quod Fidelibus distribuitur.

38. Dubitatur secundò an Sacerdotes horum Ordinum Militarium includantur in hoc privilegio? Ratio dubitandi est, quia Pontifex paulò post excludit ab hoc privilegio omnes Sacerdotes, unde videtur excludere etiam hos Sacerdotes Militares, & ex alia parte idem Pontifex includit in hoc privilegio omnes Militares; at hi, quam-

vis Sacerdotes, ex Ordine Militari sunt ergo &c.

39. Respondeo certare hac in re Bardi, & Mendo locis citatis; & Bardi quidem illos excludit, quia sunt Sacerdotes; Mendo autem includit, quia sunt Militares. Componamus nos breviter litrem, affirmando utramque sententiam esse probabilem, quia utraque expositio probabiliter cadit in verba Pontificis.

40. Quoad Præsbyteros Sæculares, scito, solum intelligi Sacerdotii gradu fulgentes, hi enim nequeunt hac uti Bulla quoad prædictum Privilegium. Quare poterunt ea comedere cum Bulla Clerici Minores, Subdiaconi, ac Diaconi, si Religiosi non sint.

41. Sed circa hoc dubitatur primo. Cum in tenore Bullæ dicatur (*in jejuniis Quadragesimalibus non posse dictos Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes, nisi hoc privilegio*) dubitatur, inquam, an in diebus Quadragesimæ, in quibus non jejunatur, hoc est in Dominicis, possint hi cum Bulla licite frui lacticiis?

Respondeo. Concedit Mendo non solum cum Bulla, sed etiam sine illa prædictos, immo Fideles omnes posse uti lacticiis in Dominicis, prædictis. Quod posterius dictum, hoc est, sine Bulla, quam falsum sit, ostendit Diana *part. 10. tract. 11. resol. 46.* præsertim ex eo, quod Sacra Congregatio Sancti Officii, & Congregatio Indicis Romæ mandavit, ut hæc opinio deleteretur è quodam libro.

At quod prius dictum est, id est cum Bulla, puto illud esse probabile; hoc est, cum Bulla posse prædictos omnes Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes diebus Dominicis Quadragesimæ veluti lacticiis. Ita sustinet Trullench, Ludovicus à Cruce, Diana, & Bardi *part. 3. tractat. 33. sect. 7.* eos, alioque citans. Puto tamen esse aliquo modo etiam probabile, non posse, ut tenet Henriquez, Rodriguez, aliique apud eundem.

Ratio quod sit probabile, cum hac Bulla posse prædictos Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes comedere lacticiis in Dominicis Quadragesimæ est, quia Bulla Latina Gregorij XIII. expressè dicit, posse comedi lacticiis cum Bulla in omnibus temporibus, & jejuniis extra Quadragesimalia jejunia tantum. Sublimo; sed Dominicæ non sunt jejunia Quadragesimalia, tunc enim non jejunatur ergo &c. Ratio verò, quod si probabile, non posse, est; quia in Bulla vulgari translata ex latino dicitur, prædictos non posse cum Bulla comedere lacticiis quo ad dies Quadragesimales. Subsumo, sed Dominicæ prædictæ, licet non sint jejunia, id est, non sint dies, in quibus jejunatur, sunt tamen dies Quadragesimæ ergo &c.

De Sexagenarijs.

42. Inquires octavo an prædicti Episcopi, Regulares, Præsbyterique seculares si sint Sexagenarij, possint lacticiis frui cum hac Bulla communit Inquires, inquam quinam sunt Sexagenarij? An qui jam attigerunt sexagesimum

finum annum, nec dum compleverunt? An qui jam compleverunt? Clarius: annus sexagenarius ad hunc effectum debetne esse completus? An satis incompletus, seu inchoatus.

43. Respondeo, ego, quamvis sciam ex Doctoribus citatis aliquos requirere completum, aliquos esse contentos incepto, puto tamen cum his posterioribus, satis esse inceptum, atque adeo sufficere, si quis attigerit annum 60. etiam per unum diem. Ita Jo. Sanchez *disp. 54. num. 11. & Trullench, lib. 3. in Decalog. cap. 2. dab. 4. num. 3.* non autem me movent rationes, quæ ab aliquibus afferuntur; respondere enim illis, facile quis potest; sed satis sint ipsa verba Pontificis; non enim Pontifex in nostra Bulla utitur illo modo loquendi (*Concedo hoc privilegium illis, qui sexaginta annos habent*) qui modus loquendi variè in alterutram partem explicari posset, sed dicit (*concedo hoc privilegium illis, qui sunt sexagenarii;*) at qui attigit 60. annos, licet non compleverit, dicitur, & est sexagenarius, ut etiam pari modo dicuntur octogenarii, centenarii etiam ii, qui octoginta, centum attigerunt; sexagenarius enim propriè, & latinè dicitur ille, qui agit sexaginta annos, non verò, qui jam egit, illosque complevit. Hæc est mea ratio. Adde, credibile valdè esse, Pontificem voluisse indulgere prædictis, atque hoc privilegium concedere, quando ex recepta jam consuetudine ii non obligantur amplius ad jejunium Ecclesiasticum; sed jam ex probabiliissima opinione apud citatos, & apud Leandrum *de Præceptis Ecclesie*

tract. 5. disp. 8. sect. 17. hi sunt illi qui solum attigerunt sexagesimum annum; ergo &c.

De Privilegio edendi lacticia concessa prædictis Prelatis &c. ab Urbano VIII.

44. Urbanus VIII. Episcopus, & Præbyteris secularibus, qui sunt exclusi ab indulto lacticiniorum per Bullam communem, illud concessit illis (non verò Religiosis) in hunc tenorem.

Venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prelatis, nec non Præbyteris secularibus dumtaxat, ut Quadragesimali tempore (hebdomada tamen majore excepta) ovis similiter, ac lacticiis pro eorum libitu uti, & veses indulgemus, data elemosyna per Commissarium Generalem taxanda.

45. Dubitatur autem hic primò quantanam elemosyna eroganda est pro hac Bulla?

Respondeo, & quidè antea recolendum est, Realem esse unum tarenum nostræ monetæ Sicilia grana quatuor, & ejusdem grani partem quartam. Hoc igitur posito, Commissarius Generalis sequentem taxam constituit.

Pro Episcopis &c. & Abbatibus vult largiendos esse Reales viginti quatuor.

Pro dignitatibus Canonicalibus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Reales octo.

Pro illis, qui gaudent portionibus, vel portionum medietatibus, & pro beneficiis curam habentibus animarum, vel non habentibus, quorum

rum redditus annuus fit rectorum.
Reales sex.

Pro habentibus beneficium, Cappellaniam, vel portionem, quorum redditus annuus, non minus fit, quam rectorum ducentorum, Reales quatuor.

Pro Clericis; & Præbyteris Sæcularibus Reales duos.

46. Dubitatur secundò: Virtute hujus Bullæ, quam quis hic recipit, utine potest lacticiis extra Regnum?

Respondeo: nequaquam; nam hæc Bulla, cum sit extensio prioris, seu communis Bullæ, intelligitur cum eadem limitatione, qua illa est.

47. Dubitatur tertio: Quando hic excipitur hebdomada major, excipiuntur ne Dominica Palmarum?

Respondeo: excipi, unde ex vi hujus parvæ Bullæ non possunt prædicti lacticiis vesci ea Dominica. Nam cum quilibet hebdomada constet septem diebus, manifestum est Dominicam includi in hebdomada. Dixi (ex vi hujus parvæ Bullæ) nam quia probabile est cum Bulla communi licite posse comedi lacticia à prædictis personis in Dominicis Quadragesima, ut supra diximus, ideo qui ex dictis personis illam communem habet, poterit ex vi illius Bullæ ea comedere in dicta Dominica Palmarum, Ita Gallegus *Glausula 6. dub. 53. de Bulla Cruciatæ*, & Trullench *in appendice num. 12.*

48. Dubitatur quarto: De quorum bonorum redditu intelligitur, quando in taxa bonorum annuorum fit mentio?

Respondeo. Bonorum Ecclesiasticorum, hoc est, bonorum, quæ quis habet ab Ecclesia, seu ratione beneficii Ecclesiastici, deductis oneribus, quæ fortè sint in illo beneficio. Quare si quis habeat bona Patrimonialia, vel propriâ industriâ conquisita, quantumvis pingua, si tamen id, quod habet ratione beneficii, portionis, pensionis, &c. non accedat ad redditum annuum in prædicta taxa definitum, eam maiorem elemosynam dare pro hac parvæ Bulla non obligabitur, ut notat Gallegus *ibid. dub. 56.* & Trullench *ibid. n. 13.*

49. Dubitatur quinto: Si Episcopi, Abbates, ut item Dignitates Canonicales, pro quibus non fit mentio quantitatis bonorum Ecclesiasticorum, pauca habeant, hoc est, habeant bona Ecclesiastica non pertingentia ad annum redditum rectorum trecentorum, obligantur ne taxa viginti quatuor, vel octo Realium contribuere pro hac Bulla?

Respondeo. Obligari, quia dum Commissarius taxavit pro his elemosynam, non respexit ad redditus, sed solum ad dignitatem. Ita tenet Trullench in expositione hujus Bullæ parvæ *num. 14.* Addit Gallegus *l. cap. cit. Clausula 6. dub. 57.* hos obligari ad prædictam taxam, etiamsi nihil habeant.

50. Dubitatur sexto: Coadjutor, e. g. Canonici, vel cujuscunque beneficiarii venitne nomine Canonici, vel beneficiarii, ita ut debeat dare elemosynam constitutam pro illis, quorum est Coadjutor?

CAPUT V.

De unica Jejunij refectione?


51. Respondeo. Nequaquam, quia Coadjutor non est verè Canonicus, vel Beneficiarius, habet enim solum jus ad rem, non in re, ut notat Trullench *loc. cit. num. ult.* Legite id latius apud Gallegum *ibid. dub. 58.* qui id confirmat ex Suario docente Coadjutorem, vivente Proprietario, non esse Canonicum, licet habeat locum in Stallo, & vocem in Capitulo, absente Proprietario.

52. Dubitatur septimò: an qui vult frui indulto huius Bullæ lactini-orum, debeat etiam sumere Bullam Communem?

Respondeo. Nequaquam, quia, ut notat Bardi p. 2. de Bulla Cruciatæ r. 3. cap. 2. sect. 8. n. 131. id non requiritur tenor huius Bullæ. Et meritò; hæc enim non dependet necessariò ab illa communi, sed est nova declaratio, seu potius nova extensio, novumque privilegium.

53. Dubitatur octavò. Quando dicemus infra in communi Bulla debere scribi nomen eius, qui illam sumit, eamque debere apud se retinere eodem modo, quo dicitur in explicatione dictæ Bullæ, idne etiam est necessarium in hac parva?

Respondeo. Non esse simpliciter necessarium, docet Trullench *loc. cit. num. 8.* quia id in hac Bulla, nec ab ipsa, nec ab ejus declaratore Commissario requiritur.



1. **V**Nicam plenam refectionem ex cibis non veritè esse de substantia Jejunii, res est nimis apud Fideles vulgata; sed circa illam plures sese offerunt difficultates enodandæ, quas jam percurro.

2. Inquires primò, an sicuti, qui secundam plenam refectionem assumit, violat substantiam Jejunii, ita qui tertiam, quartam, &c. eodem die assumit? Respondeo, de hoc *supra cap. 3. num. 29.* per occasionem dixi.

Per Potum an violetur Jejunium?

3. **I**nquires secundò: an sicuti cibum modo dicto solum semel sumere licet, idem dicendum sit de potu?

Respondeo. Non ita; unicam enim refectionem cum vespertino ientaculo præcipit lex Jejunii, non verò unicam, vel determinatas portiones. Quapropter poterit quis sæpe in die Jejunii bibere aquam, vinum, mustum, cervisiam, aquam distillatam ex herbis, vel floribus, qualis est aqua ex rosis, ex buglossa, & cicoria, &c. vel ex eodem vino, quam aquam vitem appellamus. Ratio est, quia hæc sunt verè potus, Potus autem in Jejunio non prohibetur à pia Matre Ecclesia, quia ex eius prohibitione nimis aggravaretur onus jejunandi.

4. Dices, ergo etiamne vinum in die Jejunii multoties bibam impunè? Quid

Quid si illud bibam ex intentione reficiendi mihi vires?

5. Respondeo. S. Thomam, aliosque multos, quos citat, sequiturque Thomas Hurtadus in *disp. de Cocolata*, putare, jejunium omnino violari, si vinum bibatur ad finem reficiendi vires: sed certè probabilius est, etiam sic jejunium non frangi. Id quod docent multò plures, Navarrus, Vega, uterque Sanchez, Fagundez, Diana, aliique, quos citat, sequiturque Pasqualigus *decis. 116.* quia cum non prohibetur ab Ecclesia potus in Jejunio, nec prohibetur effectus illius, qui est vires reficere, ac nutrire. Nihil autem obstat, quòd tu illum vini potum assumas cum expressa intentione vires reficiendi, dummodo assumas illud, quod verè potus est; tunc enim non facis, aliquid in fraudem Jejunii, sed uteris jure tuo.

6. Esse autem verè potum, in eo consistit, ut adhibeatur id, quod inseruit ad vehiculum cibi, seu alimenti, ut loquuntur Medici, & verè tale sit, quale sine dubio est vinum; & prædict. n.

3. Adde ex supra dictis, illud esse verum potum, quod communiter, ut potus à Fidelibus existimatur, & usurpatur.

7. Hinc non potest sumi lac, jus, aqua distillata ex gallina e. g. vel ex similibus; nam quavis hæc materialiter potentur, non sunt tamen potus, sed cibi; nec sapa, acetum, mel, oleum, nec mala medica, cinia, punica, pira, uva, arundines mellitæ, quamvis solùm dictorum fructuum succum deglutias, cæterasque partes ab ore pro-

jicias; hæc enim omnia, tum ex sua natura, tum in usurpatione hominum cibi sunt, non potus. An autem hæc in parva quantitate sumi sine mortali possint ex infra dicendis à num. 30. colligetur.

8. Hinc contra sumi potest in die Jejunii aqua Saccharo, gelsiminis, aniso, citris, aliisque aromatibus condita, quia hæc, ut hodie usurpantur, potus naturam non transcendunt; Quòd si id negavit Sanchez, *lib. 3. consil. c. 3. dub. 23. n. 3.* ideo fortasse negavit, quia loqui intendebat in eo casu, quo magna quantitas substantialis cibi in ea commisceatur, non verò quando modica ad temperandam aquam, ne sola, noceat, sicuti in nostra ætate est consuetus mos, ejusmodi temperamenta miscendi.

Cocolata.

9. **H**inc denique insurgit celebris quaestio de Cocolata. Tota autem controversia definiri posset ex duobus capitibus.

Primum caput est. An ex eo, quòd in confectioe Cocolatæ parvitas cibi adhibeatur, inde constet, etiam in Jejunio adhibere, non esse mortale? Secundum est, (abstrahendo à parvitate materiæ) an Cocolata eo modo, quo hodie in Hispania, & Romæ est in usu communi, sit verè potus, & consequenter nullo modo violet Jejunium? Dixi (eo modo, quo hodie est in communi usu) nam si multam cibi substantiam e. g. ova, trita bilcocta, vel quid simile admisceas, tunc non esse potum, Jejunium-

juniumque per illam violari, vel indo-
cti non ignorant.

Jam, quoad primum caput, dico, certum esse ex parvitate materiae posse excusari à mortali; sed de facto, an hodie ea parvitas adsit, nec ne? variant Doctores: Antonius de Leone in *quæst. moral. de Cocolata*, ait, dimidium uncia Cocolatae, posse in hac potione misceri tanquam parvitatem materiae. De uncias Romanis, seu Mercatorii, seu, (ut Siculi loquimur) *alla sottile*, est locutio, ut iterum dicam *num. 31*. Leander autem *tract. 5. disp. 5. de præceptis Eccl. quæst. 5.* concedit aliquid parum Sacchari, ita, ut tota Cocolatae portio præter aquam possit ascendere ad uncias duas. Pasqualigius *decis. 141.* solum contedit sine mortali octavam partem unciae substantiae Cocolatae, aut ad summum sextam unciae partem. Vides igitur præter peccatum veniale timeri quoad primum hoc caput (si tantisper extedas) timeri, inquam, posse mortale? Vides item, solum semel, præsertim in prædicta, sententia Leandri, posse ejusmodi potionem sine mortali in diebus Jejunii assumi? si enim pluries, jam non esset parvitas materiae. Salvarè igitur licitum usum Cocolatae pro die Jejunij ex primo hoc capite vix possumus.

11. Quoad secundum ego caput, an scilicet Cocolata sit verus potus, Jejunium non violans, sicuti non violant cæteri veri potus? Dico, esse item diversitatem sententiarum, dicentibus aliis, esse verum potum, aliis omninò negantibus.

Et certè ego ex rationibus intrinsecis puto, cibum eam esse, non potum. Ratio est, quia essentia potus, ut modò insinuavi ex Medicorum sententia, consistit in eo, quòd sit vehiculum cibi, seu alimenti, non verò alimentum; et Cocolata alimentum est, potenter reficiens, maxime nutriens, nec assumitur ad sedandam sitim, ergo, &c.

12. Dixi tamen (ex rationibus *intrinsicis*), nam video timoratos, doctosque viros eam uti in Jejunio sine scrupulo addentes, ipsos putare, illam verum esse potum; quia, ut potus ab ipso initio eius inventionis assumptus est, & à consuetudine approbatus, nolo hanc sententiam, ut improbabilem, condemnare. Legite Thomam Hurtadum *part. 2. resolut. moral. tract. 10.* ubi acriter eam defendit; & Lezanam *Consulto 48. pari conatu* condemnantem; quos nihilominus Diana *part. 11. tract. 6. resolut. 33.* in concordiam adducere conatur.

Varià de Potu.

13. Hic denique ubi agimus de potu, habe ad complementum tractationis quinque sequentia.

Primo potest quis licitè, quoties in die Jejunii bibit, aliquid cibi sumere in ea quantitate, quam mox n. 17. assignabimus, ne scilicet potus noceat. Cum enim Ecclesia concedat potum, concedit etiam, quidquid necessarium est, ne potus noceat.

14. Secundo notantèr dictum est, (ne potus noceat), si enim quis bibere veilet, non ob sitim sedandam, nec, ne

potus noceat, sed ut parum illud cibi sumeret, illicite sumeret.

15. Tertiò hoc parum cibi, quod cum sumi potest, poterit esse cuiuscumque generis ciborum Quadragesimalium, sive panis, sive fructus, sive quid simile.

16. Quarto. Quando quis per diem bibit, nec illi nocet potus, nihil cibi sumendo, non potest cibum illum, quamvis parum, sumere; quia is ideo conceditur, ne potus noceat; at nunc supponimus, potum nequaquam nocere: ergo &c. Lege de his Fagundez, Leandrum, Pasqualigum, Azor. Bonacina supra citatos.

17. Quintò quantanam est cibi parvitas, quæ, ne potus noceat, licite sumi potest?

Dico (ne potus noceat) nam mox *innum.* 30. dicitur de parvitate cibi, quæ sumpta in die Jejunii, abstrahendo à potu, non pertingit ad mortale.

Respondeo. Bonacina apud Leandrum *loc. cit. quest.* 12. concedit duas castaneas, vel duas ficus, vel quid simile. Diana, & Fagundez apud eundem quinque, vel sex amigdalas saccharo confectas, vel quid simile. Ledesma duodecim confectos. Pasqualigus *de cis.* 119. quantitatem cibi infra unquam unquam, quia hæc quantitas videtur regulariter necessaria, & sufficiens, ut potui in stomacho commixta nocumentum impediat. Prædictus item Leander *loc. cit.* concedit quantitatem cibi infra dimidiam unquam; quia hæc sola ipsi videtur necessaria ad impediendum potus nocumentum. Profecto hæc Leander *loc. cit.* concedit quantita-

Tambur. de Præcept. Eccles.

tem cibi infra dimidiam unquam; quia hæc sola ipsi videtur necessaria ad impediendum potus nocumentum. Profecto hæc Leandri sententia est cæteris præferenda. Semper autem est termino de unciis Romanis, ut supra notavimus.

Protractio, seu continuatio refectiois an Jejunio officiat?

18. Inquires tertiò, prædicta unica refectio plena quantonam tempore durare potest, uti sit unica, Jejunioque non noceat?

Respondeo: Quando quis in sua comestione quacumque ex causa infumit unam, vel alteram horam, servat Jejunium; dum enim continuat eandem refectioem intra dictum tempus, ea erit unica, & rectè unica denominabitur.

19. Sed quid si in aliquo solemnio convivio eam quis protraheret in tempus valdè notabile, à meridie e. g. usque ad vespertas, ut alicubi factum esse, semel audivimus?

Respondeo. Remigius cum Pasqualigo *decis.* 157. dicit; si id contingat in locis, ubi tandiù durare consuevit convivium, servati Jejunium; quia Ecclesia concedit unicam refectioem secundum patriæ consuetudinem; sed displicet hæc decisio; nam Ecclesia unam refectioem concedit, non plures; illa autem tandiù durans multiplex æquivalenter est. Collige hoc ex eo, quod de illo, qui à meridie ad vesperam continuo comedit, nemo sana mentis dicit, eum jejunare, carnem macerare, nutritionem sibi subtrahere, inediam

T t

ali-

aliquam sustinere, Christi Domini Jejunium imitari, qui sunt finis ab Ecclesia intenti in præcepto Jejunii.

20. Dices, ex nostra sententia sequitur, quod qui immodicam comestionem timeret, multumque se cibis infarcinaret, violaret Jejunium; quia ejusmodi refectio adeo liberalis æquivalet pluribus?

Respondeo; Ita sentiunt aliqui apud eundem Pasqualigum *decis. 120.* sed minus rectè, ut idem cum Bonacina ibidem notat: Ecclesia enim præcipit, ut jejunetur sumendo unam refectioem integram ex cibis tunc concessis, nihil vero præcipit de mensura ciborum. Unica ergo refectio, quamvis superflua, unica refectio est. At una refectio durans per sex, vel plures horas, unica morali modo non est; esto sit physicè per continuationem.

Interruptio refectiois.

21. **I**nquires quartò: Dicitur est de protractione comestionis, quid de interruptione? Et quidem *supra cap. 3. à num. 6.* locuti sumus de interruptione; quando carnes in die Jejunii cum peccato comeduntur, in præsentia vero loquimur, quando comeduntur legalia, seu non verita.

Respondeo: Vel interrumpi potest refectio sine causa, vel ex causa; si sine causa; puto, etiamsi te refeceris ad satietatem; posse te super addere ex cibis non vetitis id, quod tibi libuerit intra unum horæ quadrantem cum dimidio. Ratio est, quia sic videtur iudicio morali non distrahi tuam unicam comestionem ad aliam secundam, quæ si lon-

gius tempus intercederet, sanè distraheretur ad secundam. Id autem puto verum, etiamsi animo destinaveris nil amplius comedere; quia mutare illum animum, non distrahit tuam unicam refectioem ad aliam, dummodo moralis unitas comestionis constet.

23. At ex causa major aliqua distantia temporis indulgenda est; nam si propter negotium aliquid interrumpat quis suam comestionem, quando nondum plena habita est refectio, huic concederem, posse ad refectioem completam regredi ad mensam post horam; quia tunc necessitas illa in morali existimatione videtur sufficere ad eam moram concedendam. Ita Tho. Sanchez *lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 14. num. 1.* qui ex hac doctrina colligit, lectorer ad mensam immediatè ante lectioem aliquid comedere posse, ut item famulos, quando Domino comedendi interservire solent. Propter necessitatem enim legendi, vel interserviendi cententur tunc incipere suam refectioem, quam post unam circiter horam perfecturi suar.

24. Simile quid licet Mercenariis, quid dum ad mensam sedent, vocantur ad vendendas merces; hæc enim propriæ artis, seu muneris proprii necessitas facit, ut illæ semiplenæ refectioes per moram unius horæ, plus, minùve interruptæ, animo præsertim redeundi, unicam moraliter constituant. Duas horas concedit Joan. Sanchez; sed nimis hoc esse, meritò putat Escobar, *tract. 1. exam. 19. de Jejunio cap. 3.*

25. Hic duo casus facilè possunt occurrere. Primus, Titius non plenè refectus surgit à mensa ad negotium si-

notabiliter necessarium, putans post brevi ad mensam regredi, sed distractus à prolixitate negotij regredi nequit, nisi post multas horas, vel etiam usque ad vespèras; licebitne huic suam refectionem perficere?

26. Respondeo, cum distinctione; si enim magna causa fuit, cur notabilem partem tamdiu distulerit, licebit illam etiam vespere perficere; id concedente benignitate Ecclesiæ, quæ te non urget ad diem totum sine integra refectione transigendum, quando ex tanta causa eam distulisti; si verò non fuit magna causa, tibi imputeur, quòd propter causam levem non perfecte tuo tempore comederis. Idem dic, si ante negotium comederis mediocriter, & (quamvis ex gravi causa) parum refectionis omiseris, tunc enim est perinde, ac si perfecte fueris refectus, parum enim pro nihilo reputatur; quare vespèri solum ordinarium jentaculum tibi concedetur.

27. Quando autem sit causa gravis, vel levis, & quando refeccio sit perfecta, vel imperfecta arbitrio prudentis viri, consideratis viribus personæ, qualitate negotij, temporis distantia, decerni debet; certa enim, & universalis regula dari non potest; nam in quacumque materia, quandò nata reputanda illa sit levis, vel gravis, ut excuset à veniali, vel mortali, semper recurrendum est ad judicium, seu arbitrium prudentis viri, omnibus consideratis circumstantiis, ut universaliter docet Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 4. num. 22. & Castrop. tom. 1. tractat. 2. disp. 2. p. 7. n. 2. & 4.

28. Secundus casus. Cajus ob leve negotium transtulit dictam perfectam refectionem ad vespèras; vespere autem se valde debilem sentit, peccabitne, si plenè comodat?

Respondeo in hoc casu peccavit Cajus, dum sine notabili causa dissecavit suam refectionem cum animo aliam plenam refectionis partem sumendi subnoctem (nisi forte inculpabilis inadvertentia ipsum excusaverit) sed non peccabit, si serò comodat, quando (ut supponis) ita viribus destituitur, ut vere cibo indigeat.

Qualisnam cibi parvitas ex quadragesimalibus intra diem Jejunij assumpta (præter jentaculum vespertinum) violat, vel non violat Jejunium?

30. **I**nquires quintò: omnisque refeccio in die Jejunij assumpta illud violat? an potius concedendum sit dari etiam in materia Jejunij parvitatè materiæ.

Respondeo. Dari etiam hic parvitatè materiæ, omnes Theologi affirmant; sed difficultas vertatur in decernendo, quantanam illa sit. Breviter ajo, esse jam multorum hodie probabilem sententiam comedentem ex cibis quadragesimalibus duas uncias libræ Romanæ (hoc est, ut seculi loquimur) (*due onze alla sottile*) peccare quidem venialiter, sed non mortaliter, unde nec Jejunium frangeret. Ratio est, quia sic non læditur gravis finis Jejunij, qui est maceratio corporis, ejusque modica nutritio; sicut enim modicum quid surripere à proximo, quando illud

modicum non lædit proximum graviter, judicatur parva materia, ita in casu nostro. Soleo etiam ego, sic discurrere: qui duas horas laborat sine necessitate die festivo, excusatur probabiliter à multis Theologis à mortali, quia duæ horæ respectu viginti quatuor horarum diei judicatur tempus modicum: pari ergo modo duæ uncia cibi Quadragesimalis respectu unciarum viginti quatuor, & fortasse triginta, ad quas ferè solet ascendere integra diei refeccio, meritò judicabitur modica comestio. Nostram hanc sententiam docet Turrian. *part. 1. cap. 256. n. 2.*

31. Dixi primò (*peccare quidem venialiter*) nam parvitas materiae tum hic, tum in similibus excusat quidem à mortali, sed non à veniali, cum tunc fiat etiam contra præceptum, licet leviter, seu in re levi; à quo tamen veniali, quando adest aliqua rationalis causa, te etiam liberari, docemus omnes.

Dixi secundò (*ex cibis Quadragesimalibus*) nam ex carne, vel lacticiis mox tubdam à *num. 34.*

32. Ex dictis, ut notat Diana *p. 5. tr. 5. ref. 11.* sequitur, quòd jejunans possit sine mortali primo mane sumere duas uncias cibi Quadragesimalis, & semel bibere, ac postea hora consueta integram refeccionem sub meridiem sumere, consuetumque ientaculum addere sub noctem. Non evitabit tamen veniale, si rationalis causa non adsit, ut constat ex dictis.

33. Quæsitum hic olim fuit, an arundines mellitæ, quæ tam frequenter suguntur in nostro Siciliae Regno,

Jejunium, dissolvant? Et dissolvere quidem, si in magna quantitate sugantur, conveniunt nostrates Theologi; est enim ille succus maximè nutritivus, alique non modicè, cum sit ipsa lactari mera substantia. Sed illud audi vi, P. Bernardinum Picinum, Virum valde pium, & doctum, cum casus ad conscientiam pertinentes explicaret. Panormi, docuisse, duarum ex his arundinibus trajectum succum esse, contra Jejunium materiae dumtaxat parvitatem. Ratio esse potest, quia humor sive ex parvis, sive ex magnis canis hisce in stomachum deglutitur vix ad duas uncias pertingere, ab illo judicatum est.

Nihilominus ego per amicam pharmacopolam curavi, ut expenderetur succus unius arundinis mellitæ communioris magnitudinis, & inventus est ponderare circiter uncias duas Romanas cum dimidia. Quare corrigendum judico id, quòd prædictus P. Bernardinus fertur docuisse, si docuit tamen, & quod ego dixi *lib. 4. Decal. 5. S. n. 14.*

Parvitas cibi ex carnibus, vel Lacticiis.

34. **S**Ubinquies; quænam censenda sit parvitas ex carnibus, vel lacticiis, quæ in Jejunio assumpta, non pariat mortale peccatum.

Respondeo. Quia carnes, Antonius de Leone *in q. de Co.olat. p. 3. n. 8.* ait, parvitatem materiae in comedendis carnibus diebus vetitis solum se extendere ad eam quantitatem, quam solent

namere coqui ad prægustandos ciborum lapores.

Leander tract. 5. disp. 2. q. 13. extendit ad octavam partem uncie Romanæ, hoc est ad mediam quartam.

Pasqualigus decif. 42. extendit ad dimidiam unciam.

Profectò primus nimis rigidè se habet. Tertius nimis benignè; dimidia enim carnis uncia valde reficit, finique Jejunii admodum adversatur; merito ergo excipienda est Leandri sententia; octava enim uncie pars non potest graviter nocere fini intento à præcepto Jejunii.

35. Dicebat quidem, se colligere ex sententia Pasqualigi (quam tamen nos modò approbare, nec volumus, sed nec etiam potuimus) posse in die vetito sine mortali jecur gallinæ comedere integrum, sed perperam colligit. Nam ego expendi ad libram jecur medioeris gallinæ, & inveni crudum ponderare duas uncias, assatum, unam cum dimidia. Ergo unde tanta benignitas colligitur ex Pasqualigo?

36. Dicebat quidem alius Baussembaum in Medulla Theologica, unam, vel duas uncias carnis concedere. Certè infideliter id dicebat; nam hic Author id de cibis legalibus dicit, non de carnibus. Ecce ejus verba lib. 3. tract. 6. cap. 3. dub. 1. n. 3. Probabile satis est, ait Ronacina, si Coquus, aut agroti Minister parum carnis prægustet, vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis serotine, sive unam, sive duas uncias sumat; hanc enim esse parvitatem materiæ, docet Diana, &c. Hæc prædictus Author.

37. Dixit denique alius, concedi ab Escobar unam unciam carnis, & hic etiam nimis infideliter adducitur; nam sic is habet in Summa Theologica, mor. tract. 1. exam. 13. de Jejunio. Num hujusmodi parvitas in esu carnis excuset a letuali? Affero cum Tannero, eam non excusare, quatenus adversari professioni fidei existimatur, qui eo cibo uteretur die Jejunij, aut prohibitionis. Hæc ille. Vides ergo cum hac scandali consideratione meritò negari ab Escobar quamlibet parvitatem in hac materia; sed si ab hac consideratione abstrahatur, nihil decernit, nec de illa, ut sic, aliquid habet.

38. Quoad ova idem puto; nam hæc multum sunt nutritiva, & à refectioe per carnes non valde dissimilia; & ego, modo nuper prædicto, ponderandum curavi ovum medioeris magnitudinis deducto cortice, atque inventum crudum, tum assatum, tum frictum, pondus duarum unciarum temper attigisse; unde collegi, quartam partem ovi esse mediam unciam, quam tamen ex carne nolimus modo n. 34. concedere Pasqualigo, & Leander quidem, qui modo eodem n. 34. concessit de carnibus solùm octavam partem uncie, concedit nunc in eodem tract. 5. disp. 5. q. 49. mediam unciam ovorum esse parvitatem materiæ, fortasse, quia aliquid plus nutritionis dari à carnibus, quam ab ovis judicavit.

39. Quoad alia lacticinia, nempe caseum, butyrum, lac concederem parvitatem materiæ in calu, de quo loquuntur, Jejunii, esse dimidiam unci-

am plus, minusve, quia hæc sunt minus nutritiva, quàm carnes & ova,

Pluries prædictam parvitatem sumens eodem die, an violet Jejunium?

40. **I**nquires sextò. Quid de sumente pluries modicam cibi quantitatem præter solitum prandium, ac ientaculum?

41. Respondeo. Sic omninò violari Jejunium, quando scilicet ex multis parvis conficitur unum satis notabile; tunc enim omnes illæ modicæ comestiones uniuntur in ordine ad refectioem, & nutritionem notabilem corporis, quò pacto stare Jejunium non potest; sicuti solemus dicere de modicis furtis, quæ quando perveniunt ad notabile damnum proximi, consurgit furtum grave, ac mortale; idèmq; dicere consuevimus de modicis servitiis factis, sed multoties eodem die festo repetitis. Legite Sanchez in lib. 1. Decal. c. 4. n. 11. aliòsque citatos à Pasqualigo decis. 140.

42. Sanè olim huic nostræ doctrinæ aliquis fortasse sese opponere, sive meritò, sive immeritò potuisset; Verùm hodie SS. Alexander VII. inter cæteras propositiones damnatas, de quibus supra meminimus, hanc damnat, quæ est vigesima nona in ordinè.

In die Jejunij, qui sapis modicam quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

43. Dubitabis hic: Si quis habeat hunc volitionis actum, immò etiam sic exequatur. Ego volo per omnes

dies quadragesimalis Jejunij, semel tamen in die, ultra plenam meridiei refectioem, vespertinumque ientaculum, aliàs duas uncias ciborum minime prohibitorum sumere, peccatne mortaliter? Ratio dubitandi est, quia illa omnia modica uniuntur in illo actu voluntatis, & videntur facere unum quid notabile, atque adeò graviter peccaminosum.

44. Respondeo. Hunc non peccare mortaliter; nam solùm proponeret facere, & faceret diversa peccata venialia pro diversis diebus, quibus diebus cum sua particularis sit addicta obligatio, una nimirum independens ab alia, ut etiam sua propria cuiusque diei nutritio; idè illa modica non uniuntur ad conflandam violationem ullius Jejunij. Ita Thomas Sanchez loco cit.

CAPUT VI.

De Vespertino Ientaculo permisso in die Jejunij.

De ejus Quantitate.

1. **I**nquires primò. Quandoquidem in Jejunio adhiberi licet refectunculam, sive carnulam ob sustentationem naturæ, seu ad somnum sequentis noctis conciliandum. Inquires, inquam, in qua quantitate licitè sumi illa possit?

2. Respondeo. Azor apud Pasqualigum decis. 88. ait, esse mensurandam

dam juxta singularum regionum consuetudinem.

3. Reginaldus, & Layman, apud eundem, aiunt, posse sumi quartam partem cœnæ, quia id cæteris materiis quarta pars alicujus rei judicatur pars illius parva. Profectò si vera esset hæc mensuratio, qui die festivo laboraret per sex horas, judicaretur laborare per parvam diei integri partem, quod nemo dixit.

4. Grassius apud eundem dicit, posse sumi ex cibis quadragesimalibus quantitatem duarum, aut trium unciarum.

5. Sã apud eundem quantitatem unciarum quatuor.

6. Villalobos, aliique apud eundem extendunt usque ad sex uncias.

7. Hieronymus Perez apud eundem usque ad septem.

8. Fagundez denique apud eundem asserens, hanc opinionem approbatam fuisse à Suario, extendit usque ad uncias octo. Semper autem, loquimur de libra, unctisque Romanis, & ut nostrates loquuntur (*alla sottile*) ut supra item sæpè monuisse, me memini.

9. Ex his sententiis prima, & secunda, cum non determinent mensuram, locum dant scrupulis, & perplexitatibus 3. 4. & 5. rigidam dant determinationem. Sexta ergo, & septima sunt præferendæ; & jam hæc nostra ætate usurpatur à timoratis alterutra ex his, easque docent plurimi, Henriquez, Trullench, uterque Sanchez, Diana, Turrianus, aliique apud eundem Pasqualigum *decif.* 91. Ratio autem hu-

jus probabilis sententiæ est, quia tota hæc quantitas meritò habetur pro modica, & ex alia parte est apta ad finem subministrandi aliquo tandem modo adjumentum naturæ, & juxta benignitatem Ecclesiæ temperandi rigorem Jejunii, sed non illud destruendi.

10. Quæres primò, si mihi sufficerent ad prædictum finem duæ, vel tres cibi uncia, licitè ne septem, vel octo assumere?

Respondeo, posse, saltè sine mortali, quia in rebus moralibus debemus sequi, quod per se est secundum communem existimationem, & usum, non verò, quod est tibi per accidens. Adde, si tu es adeò parvi cibi, ut tibi sufficiant duæ, vel tres uncia, certè valdè debilis complexionis es, atque adeò etiam meridiè parcè comedisti, unde tantò ampliùs vespertina refectioe indigebis.

11. Confir. quia quando serò cibus à te manè assumptus non est digestus, sufficeret fortassè tibi, si solùm semel comederes; & tamen communis est sententia apud Lessium *lib. 4. cap. 2. dub. 2.* te posse sumere integrum consuetum jentaculum, quia hoc concessit omnibus lex, seu legitima consuetudo, atque adeò etiam tibi per accidens satietate matutina repleto. Ita tenet etiam Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 8. quest. 4.* Joan. Sanchez *disp. 52. num. 6.* aliique, & quamvis tunc pecces contra temperantiam, vel tui ipsius charitatem, si tua sanitati sic notabiliter noceas; non tamen peccares, saltè graviter, contra Jejunii præceptum.

12. Quæres secundò: Si quis dicitis uncijs octo adderet unam, vel alteram, quæ, ut supra vidimus, est parvitas materiæ, adderetne sine mortali?

13. Respondeo. Pellizar, *tom. 1. tract. 5. num. 11.* & Diana, *p. 9. tract. 6. resol. 15.* ajunt, addi sine mortali, quia additur, quod modicum est. Pasqualigus *loc. cit.* id negat; quia hoc aperit viam ad introducendam binam plenam refectionem. Ego censeo, si hæc additio fiat bona fide ex eo scilicet, quod non teneatur homo ad libram mensurare suum jentaculum, undè moraliter credat, id, quod sumit, esse intra uncias octo, cum tamen sit supra, illum non condemnarem ex eo capite, quod bona fide in mentem non venerit suum jentaculum ad subtiliorem trutinam meliùs expendere. At verò addeantem scienter illud plus, sanè condemnarem, quia video, sumere intra diem Jejunii duas cibi uncias esse quidem parvitatem materiæ, sed video item eandem sumere de industria cum aliis octo notabiliter excedere quantitatem jentaculi.

14. Quæres tertio, possumne licitè panem octo unciarum, quem, ut mox dicemus, licitè sumo pro toto meo jentaculo, possumne, inquam coquere in aqua, & totum sumere?

15. Respondeo. Licitè posse, dicit Bossius, Leander, Pasqualigus eos citans *dec. 106.* sed ego sequor omninò Filliucium *tract. 26. p. 2. t. 2. n. 31.* qui omninò negat; siquidem liquor ille, ait, seu aqua fit propter coctionem cum illo pane cibus solidus multarum unciarum, & ita excedens mensuram jentaculi. Ego illam rationem assero,

canula intròducta est sub illo modo, ut sit refectione, & non plena refectione, & ad satietatem; at quicumque prædictum panem cum aqua elixatum comedit, plenè, & ad satietatem se reficit; ergo, &c.

Minor mihi certa est, nam quidam meus Paterfamilias, ut rem hanc experiretur, coxit, seu elixavit prædictum octo unciarum panem in sufficienti aqua, & ex hujusmodi coctione adeo magnam pulmentum confavit, ut ex illa, satiato jam amico, aliquid superesse. Non ita se habet, si panem prædictum, vel biscoctum infundas in vinum, vel aquam, quod certè aliquantulum immiscit, quia in hoc casu non adest actio ignis coquentis, nec illo satiatur homo; & deniquè de hoc adest consuetudo Fidelium, quæ non est de pane illo cocto.

16. Illa duo denique hæc sunt meditatione digna. Primò, non esse audiendum quemquam dicentem, quantitatem octo unciarum non debere intelligi quoad fructus valde humidos, ut est una, ficus recentes, quia duodecim unciæ, horum fructuum sunt unciæ octo fructuum siccorum, & illis æquivalent. Non est, inquam, audiendus, quia sic comederet quis integram cibi libram, quod nimis diminueret observantiam Jejunii. Nam illè succus fructuum recentiorum cibus est, quia non est potus, & item directè sumitur, ut cibus, & directè alit, cum non sit cibi vehiculum, juxta ea, quæ supra diximus de potu.

17. Secundò. Nec est audiendus Layman *lib. 4. tract. 8. num. 9.* dicens, nobi-

nobiliores, & qui studiis vacant, posse vespertinam refectionem largiorem sumere, quam alii, nec Leander, *tr. 1. diff. 4. quest. 32.* dicens idem de illis, qui difficilius somnum capiunt; ajo enim, solum tunc posse recipere aliquid amplius de dicta refectione, quando necessitas tunc sanitatis, vel officii id nobilitate exigit, quæ est communis excusatio, de qua suo loco infra, non verò est ex capite nobilitatis, vel officii.

Exceptio pro vigilia Nativitatis Domini.

18. Superest hic explicare benignitatem in sumenda largiore cœnula in Vigilia Natalis Domini. Dico enim in hac vigilia ob lætitiã tantæ festivitatis concessam esse largiorem refectionem.

Verùm sciscitaberis, Quantomam largiorem? Respondeo licere sumere duplo circiter majorem, hoc est, pertinentem ad uncias sexdecim, & quidem propter paritatem rationis ex eisdem obsoniis, quibus in cæteris Jejunii licet nos uti possumus. Ita Tom. Sanchez *lib. 5. Consil. dub. 26.* Joa. Sanchez *diff. 52. num. 10.* Pagundez *Præcepto Eccles. 4. num. 19.* Diana item *p. 11. tr. 7. ref. 12.* qui aliqua benigniora habet de hac Vigilia.

An idem concedatur in Jejuniiis aliis lætitiæ, nimirum in Jejuniiis Paschatis, Pentecostes &c. dicemus *infra c. 9.*

19. Quod dictum est de hac Vigilia Natalis Domini, intellige cum utroque Sanchez citato, etiam si incidat in diem sabbati, in quo celebratur Jeju-

Tambur. de Præcept. Eccles.

nium Quatuor Temporum, quia magis dignum trahit ad se minus dignum. Quare si festum Natalis sit celebrandum prostridie, nempe die lunæ (quia dies sabbati est jam vigilia Nativitatis, quamvis etiam sit Jejunium Quatuor Temporum) hæc prærogativa benignioris jentaculi vigiliæ conceditur.

Atque ex dictis fit, ut si quis voverit jejunare in dicta Vigilia Nativitatis, possit vespere refectionem solito majorem modo dicto sumere, quia vovit Jejunium illud, sicuti in ea Vigilia servatur à Fidelibus. Excipe tamen, nisi exprèsse rigorosum Jejunium promiserit, vel ex professione Religiosa ad idem rigorosum obligetur.

De ejusdem jentaculi qualitate.

20. Inquires tertio: Quodnam genus cibi possumus in prædicta quantitate sumere pro Jejunii jentaculo?

21. Respondeo: Quamvis multi Doctores determinent solum posse sumi eos cibos, qui usui sunt in secundis mensis, qualia sunt electuaria, bellaria, nuges, olivæ, fructusque cæteri, & per alios solum pisciculi parvuli, & similia; non verò sumi posse cibos quoscunque, quamvis Quadragesimales; nihilominus hodie jam probabilissima sententia est apud Leandrum, & Patualgum *loc. cit.* posse ex quocunque cibo quadragesimali. Unde sine scrupulo possunt adhiberi septem, vel octo circiter solius panis uncia Romanæ, vel solius alterius cibi legalis, vel partim ex pane, partim ex aliis eisdem

U u

cibis;

cibus; siue hi sint legumina, siue herbarum, siue pisces recentes, quamvis magni, siue pulres ex cremore triticeo, vel ex amygdalis, siue ex piscibus siccatis, vel sale conditis, siue ex aliis similibus generum, modò, ut dictum est, non transcendatur debita quantitas. Ratio huius doctrinæ satis sufficiens illa pro modo vobis sit, quia iam usus Fidelium timoratorum hodie hanc præxim sine scrupulo comprobatur.

22. Dictum est (ex sibi Quadragesimalibus) nam de lacticiis, & ovis, quando hæc licite adhibentur in Jejunio, non est idem D. D. Judicium. Dicamus prius de lacticiis, mox de ovis.

23. De lacticiis, nempe caseo, butyro, lacte &c. negant, posse hæc licite adhiberi in ientaculo vespertino Sanchez, & Leand. apud Pasqualigum decis. 114. Concedit ipse, adducens Turrianum, Layman, Bossium, aliosque, quam sententiam ego probabilem puto. Ratio est, quia non apparet ratio, unde ea certò prohibeantur ientaculo, posito, quod in tali Jejunio licite, ut supponimus, ipsa comedantur. Adde, si per Auctores, qui rigidissime agunt de ientaculo, assumi possunt, quæ adhiberi solent in secundis mensis, sicuti sunt fructus, dulciaria, &c. cur excludi debeat caseus, qui solet in dictis secundis mensis passim ab omnibus adhiberi? An possit licite sumi integrum ientaculum ex solis lacticiis; dicam infra c. ultimo à n. 32.

Nota eundem Leonardum, quem diximus, esse in negativa sententia; tamen ex alio capite liberat a mortali

(non tamen potest à veniali liberari, ut supra vidimus) comedentem aliud quid lacticiorum pro ientaculo, hoc est, ex capite parvitas materiæ; si enim ait, sumatur solum media uncia lacticiorum, parva materia sumetur. Ita ille c. 5. disp. 5. q. 49. citans Dian. Villalobos, Truilench.

24. De ovis quidquid concedatur cum Bonacino, Pasqualigum decis. 111, negandum omnino est cum Sanchez, Bossio, Leandro, Fillucio, Turriano, aliisque apud eundem. Ratio potissima est, quia ova sunt maxime substantia, validaque nutritionis, atque adeo ex diametro opposita sunt Jejunio; ita ut, nisi expressè Ecclesia hæc inter lacticia numerasset, ritè esset ab eis in Jejunio abstinendum, sicut à carnibus; sed Ecclesiæ benignitas id indulgit; & certè in casu nostro de ientaculo nunquam inuenies, qui videns Fidelem ova vespere comedentem, iudicet, eum Ecclesiasticè jejunare. Non sic de caseo, aliisque similibus lacticiis; quæ, ut omnes fatentur, minus sunt nutritiva, & nullo modo in hoc ovis similia; nam propterea viribus destitutis ovorum vitellos propinant medici, non verò alterius generis lacticia.

25. Memineris autem biscoctorum, & placentulas ex immixtis ovis confectas posse sumi in ientaculo illius Jejunii, in quo conceduntur lacticia. Ratio est, tum quia solet ex coctione quasi evanescere modicum illud ovorum, quod immiscetur, ut supponimus, & supra diximus cap. 4. à num. 13 tum quia in octo uncias talium biscoctorum satis parva quantitas (ut supponi debet) est.

est: id quod certè à mortali te excusabit.

De Tempore, quo sumenda est vespertina refectio.

16. Inquires tertio: Cum refectiuncula introducta sit, ut fiat sub noctem ad somnum conciliandum, potestne licitè nihilominus transferri in meridiem, vel in aliam horam?

27. Respondeo: Quinque modis potest hæc transpositio fieri. Primò si meridiem jentes, & sub vespere plene te reficias.

Secundò, Si mane diluculo jentes, & eodem modo plene cœnes sub vespere.

Tertio, si mane diluculo jentes, & mox in meridiem plene comedas, omitta vespere omni refectio.

Quarto, si paulò ante, quam vespere plene cœnes, e. g. duabus, vel tribus horis antea, jentaculum sumas.

Quinto, si paulò post, quam in meridiem plene te refecisti, sumas jentaculum post duas e. g. vel tres horas. Jam de singulis.

28. Si te primo modo geras etiam sine necessitate, licitè te geras, quia posito, quòd jam introductum sit jentaculum in Jejunio, illud licitum absolute est; & ex alia parte rigorosius erit si tuum Jejunium, siquidem toto integro die cum solo jentaculo remanebis. Id quod idem fieri posse in Vigilia Natalis Domini, quando pinguior conceditur refectiuncula, probabile etiam propter eandem rationem est.

29. Si verò te geras secundo modo puto propter tantam temporis anticipa-

tionem in sumendo jentaculum, te peccare venialiter, si causa rationabili careas. Venialiter, inquam, quia in re parva mutas ordinem Jejunii; non verò mortaliter, quia in substantia nihil ultra debitum sumis, & simili modo, quem diximus *numer. precedenti*, manens toto die sine alio cibo, sufficienter, & fortassè plus debito corpus macerabis.

30. Si tertio modo, nec te de mortali condemnare audeo, nec item audeo te sine notabili causa, vel sine dispensatione liberare à mortali. Non hoc secundum, quia hæc videtur nova forma Jejunii, cum Ecclesia solum concedat in meridiem, & vespere, non verò in meridiem, & mane, tanta enim vicinitas non usurpatur à timoratis. Nec primum, hoc est, non te condemnare audeo, quia sic ponitur substantia Jejunii, quæ salvatur cum cœnula, & cœna; & quia quod à mane ad meridiem deest de inedia, supplebitur à meridiem usque ad noctem.

31. Si quarto, vel quinto modo, idem dic, quod in modo tertio precedenti, advertendo, quòd quò magis appropinquat cœna ad cœnulam, tanto difficilius concedi debet, quia magis sic receditur à forma Jejunii consueta ab Ecclesia, nisi tam proximè hæc uniantur, ut consent unam moraliter integram refectioem.

32. Illud occurrere posse, fateor, ut qui summo mane nesciens, vel non advertens esse diem Jejunii, sumat jentaculum, tunc profecto licitè, etiam sine causa, poterit, sive meridiem, sive paucis interjectis à meridiem horis, ple-


CAPUT VII.

De hora sumendi plenam refe-
cionem in die Jejunij,

nè comedere; nam propter illam bonam fidem ientaculum matutinum poterit habere rationem vespertinae cenulae; siquidem bona fides valde delevit inconueniens ductum à forma jejunandi; & ex alia parte non est cogendus Fidelis ad severiorem abstinentiam.

33. Petes hìc denique; si quis ob negotia gravia, vel infirmitatem Jejunare, nequit, nisi ientando mane, sed prandendo vespere, jejuna-rent tenetur?

34. Respondeo verbis Quintana-duennas, tom. 2. singularium tract. 9. sing. 17. qui sic habet: *Communis sententia est, hunc non teneri hoc modo jejunare. Sic Fillucius tom. 2. tract. 27. cap. 6. num. 130 Joann. Sanchez disp. 34. num. 13. quibus adde Mendo in Bull. Cruciatæ disp. 13. cap. 1. num. 2. Leonardum de Praecept. Eccl. tom. 3. tract. 5. disp. 8. quest. 30. Verùm teneri hunc ad jejunandum, videtur Doctis Recentioribus, quos consului, quia haec circumstantia cum sit compassibilis cum Jejunio, non potest tollere Jejunij obligationem. Sicuti, qui potest cum ovibus jejunare, & non potest sine illis, quis dubitet, debere cum illis? Et sicuti, qui non posset ob negotia recitare horas suo tempore, sed posset, e. g. mane, omnes simul, sane ad illas obligaretur. Et ratio a priori est; quia quando remanet essentia praeccepti, ut hic, non tollitur ob ejus accidentalìa. Haecenus ille, & ego.*



1. **I**N superiore aetate tempus plene reficiendi in Jejunio extra Quadragesimam erat hora nona diei, hoc est, hora tertia post meridiem, ut notat Covarruvias lib. 4. variar. Capitul. 20. n. 14. In Quadragesima vero erat sub vespere, hoc est, hora tertia post nonam. Dividebatur enim totus dies, siue longior, siue brevior in duodecim horas, maiores in aetate, breviores in hyeme. Et prima tres hora dicebantur Prima; sequentes tres hora dicebantur Tertia; sequentes tres Nonam; sequentes denique tres, hoc est, tres ultimæ, dicebantur Vesperæ. At hodie ex consuetudine legitima, atque ab universali Ecclesia approbata, est hora Meridiei.

2. Duo autem nota. Primò, horam meridiei esse, quam notat horologium solare ex arte factum, quod solet præcedere per semihoram circiter nostra horologia Italica rotalia bene regulata, ac gubernata. Et quidem mathematicè, & exactè loquendo, præcedit per quadrantem hyeme, per quadrantem cum dimidio vere, & autumnò; per semihoram in aetate, ut anno superiore diximus ex Ricciolio, id calculante, quem etiam refert Pellizzarius tom. 1. man. tract. 5. cap. 8. num. 105.

Secundò nota, non prohiberi volenti tardius plene comedere; nam poterit in meridie ientare, dilata cen-

morisque ad Vesperas juxta dicta capit. præced. nam sic profecto rigorosius jejunabit.

3. His tanquam certis habitis, inquirentes primò, an si quis anticipet dictam horam meridiæ, frangat Jejunium, & peccet?

4. Respondeo. Quòd non frangat Jejunium, certum sit ex omnium sententia, quia sic non est violata substantia Jejunii, quæ consistit in unica plena refectioe cum suo vespertino ientaculo ex sibus non veritis. Id autem ex eo manifestè collige, quia sic anticipans obligatur ad servandum Jejunium, ad quod non obligaretur, si fractam illud Jejunium esset in substantia.

5. At verò, an peccet, dissensio est inter DD. Quare duplex est sententia.

Prima, quam sequuntur ferè viginti septem DD. citati à Pasqualigo dec. 146. inter quos recensentur Fagundez, Thom. Sanchez, Reginald. Sylv. aliq; dicit, peccare mortaliter eum, qui notabiliter anticipat, quia tunc fit contra præceptum, ne comedatur ante Meridiem.

6. Secunda, quam sequuntur ferè triginta citati ab eodem, inter quos numerantur Toletus, Fillucius, Lessius, Medina, Basszus, Bonacina, aliq; dicit, non peccare mortaliter, quia nullibi reperitur præceptum allatum à prima sententia; ergo non est à nobis asserendum; & ex alia parte inedia molestiam, quæ non tolerabitur manè, tolerabis intra diem usque ad noctem. Esse tamen veniale, iidem do-

cent, quia tam citò ad prandium accurrere, quando omnes ferè Fideles meridiem expectant, nonnulla deordinatio est, quam sanè absque dubio tollet aliqua causa rationabilis, studij e. gr. itineris, negotii, &c.

7. Nota autem pro sequentibus primam sententiam, posse prædictam plenam refectioem eos facere una hora circiter ante meridiem in hyeme, & duabus in æstate. Ita Bossius sect. 4. de Jubileo cap. 18. casu 100. Ratio est, inquit, quia una hora ante, vel post punctum præcisum meridiæ hyemalis, & duæ ante æstivum, quando longior est dies, potest hac in re moraliter haberi pro meridiæ. Hinc quoniam mendicantes, quique horum privilegia participant, gaudent facultate anticipandi refectioem Jejunii per horam, ideo poterunt hi prandere duabus horis hyeme, ait Bossius, & tribus æstate ante meridiem solaris horologij, nam alteram dat moralitas meridiæ, reliquam Pontificis concessio.

8. Et quia multi probabiliter concedunt, comedere semihora ante statutum, vel concessum tempus, etiam sine causa, non esse notabilem culpam, quia parum pro nihilo reputatur; idcirco hyeme poterunt duabus horis cum dimidia, æstate tribus cum dimidia ante solarem meridiem mensæ accumbere. Et quidem ex causa studij, itineris, negotii, &c. etiam sine veniali. Atque hæc quantum jejunantibus faveant etiam in opinione illa rigorosa, jam vides.

9. Quæres, an in Quadragesima liceat obligatis ad Horas Canonicas

comedere ante recitationem Horarum Vespertinarum? Ratio dubitandi est, quia in rubricis præscribitur, eo tempore vespere esse recitandas ante comestionem.

Respondeo. Merito id rubricæ præscribunt, quia comestio in diebus Jejunii Quadragesimæ, ut modò num. 1. diximus, olim usque ad vespere differebatur, nam propterea vocabatur cæna, non prandium. Verùm quia ex una parte hæc rubrica, sive pro recitanti in Choro, sive extra Chorum, non est præceptiva, sed directiva, atque adeò non obligans cum tanto rigore; & ex alia parte hodie comestio jam ex usu legitimo fit in meridie; ideò licebit, Vespere post comestionem recitare, maxime extra Chorum, nam in Choro congruum est, servare morem suæ Ecclesiæ. Immodò fertur, sapientissimus Cardinalis Bellarminus dicere solitus fuisse; quandoquidem in nostra ætate à sua hora dejecta est comestio, non esse conveniens, ut vespertina recitatio deiciatur à sua,

CAPUT VIII.

*Qua hora incipit, desinitque
in die Jejunij obligatio jejunandi.*

1. **I**N hac materia Jejunij dies intelligitur à media nocte unius diei inclusive usque ad mediam noctem sequentis diei exclusive: itaque si sit jejunandum die c. g. abbati, incipit obligatio à media nocte post diem Vene-

ris, & desinit à media nocte ante diem Dominicam.


2. Inquires autem primò, Cùm media nox, sicut & meridies sumi possit mathematicè, & sumi etiam possit moraliter, ex quo computo incipiam, vel finiam Jejunii mei tempus; media enim nox mathematicè est ipsum punctum, & momentum mediæ noctis, media verò nox moraliter sumpta, ita est ipsum punctum mediæ noctis, ut tamen accipiatur morali, seu humano modo, hoc est, sine tanta subtilitate, & rigore computi, sed sicuti communiter omnes accipiunt. Et solent quidem communiter accipere in hac materia Jejunii media hora plus, minusve ante, vel post prædictum punctum prædictum mathematicum mediæ noctis. Dico (*in hoc casu Jejunij*) ubi ex Fidelium estimatione, & usurigorosus est præceptum, quando loquimur de media nocte, quàm quod dixit Bofsius in illo alio casu de meridie d. e. præcep. num. 7.

3. His ergo positis, inquires, quomodo accipienda est media nox in Ecclesiastici Jejunii materia? Nam pro Jejunio naturali ad Evcharistiam sumendam, latè diximus anno superiore.

Respondeo: Si quis sciat, vel faciliè ex horologiis, seu aliunde scire potest punctum noctis mediæ mathematicum, secundum illum debet se gerere, nec post illud, ne per minutum quidem, in casu proposito, potest carnes comedere. Ratio est, quia supposita scientia de mediæ noctis momento, vel facilitate morali eam habendi, non possum etiam hu-

hinc modo, & morali non censere, illud tempus hujusmodi momenti consequens pertinere ad diem sequentem ad dictum Jejunio, ac proinde non possum non cognoscere, præceptum Jejunii jam urgere. Si ergo præceptum urget, acque est in possessione obligatio Jejunii, non verò mea libertas comedendi, fieri non potest, ut à jejunando sim liber. Res hæc est metienda, sicut in numero peccatorum proferendo in confessione; si enim nesciam præcisum numerum, sat est, dicere, toties peccavi plus, minusve, nec obligor, nisi moralem diligentiam adhibere ad numerum sciendum. At si sciam, vel facile recordari possim, me determinatè ter, e. g. peccasse, & non amplius, deo fateri, me peccasse mathematicè ter, seu ter determinatè. Idem dicitur in casu nostro.

4. Hinc postrema nocte Baccanaliū, illucescente feria IV. Cinerum, si sciam, vel facile scire possim momentum mediæ noctis, à cæna abstinere debeo omnino, quia fallum est, quòd possideat (ut quidam non rectè judicavit) cœnandi libertas; possidet enim clarè Jejunii Quadragesimalis obligatio. Vide, quæ dicam mox num. 9. Idem dic de nocte diei Jovis, illucescente feria sexta, quoad carnes comedendas, cum par sit ratio. Quòd si prædictum momentum nesciam, nec per moralem diligentiam scire possim, tunc enim verò ad moralem mediam noctem tunc confugiam.



Dubius de media nocte.

5. **Q**uæres primò, si omnibus expensis, variisque horologiis auditis, immò aliquando auditis nullis, ut si fortè rure commoret, sum negativè dubius, an data sit media nox; possumne licitè comedere carnes, primò, nocte præcedente ad diem e. gr. Dominicum, secundò, nocte præcedente ad diem feræ sextæ? Dubius, dico, si enim habeas probabilitatem, quam facit quodcunque horologium benè regulatum, nec communiter fallens, posse te cum illa probabilitate conformare, alibi dictum est universaliter.

Respondeo. Communem jam hodie doctrinam esse, in primo casu non posse licitè, posse in secundo. Ratio est, quia in primo possidet dies sabbati, in quo clara & certa est obligatio abstinendi à carnibus. Dubium autem est, an ingressus sit dies Dominicus, ergo prævalet lex abstinendi. Contra verò in secundo casu, possidet certò dies Jovis. Dubium autem est, an advenierit obligatio feræ sextæ, ergo prævalet libertas comedendi. Legite D. citatos à Bossio in q. mor p. 2 de conscientia dubia tit. 1. n. 1701.

7. Illud recole, cum horologium solare signet horas ante meridiem circiter semihoram, quam signet horologium rotale Italicum, modo supradicto, eap præced num. 2. idèò quando horologium hoc rotale dat signum mediæ noctis, vera media nox (quam facit certè sol, non dictum horologium) jam invenitur præcessisse per mediam

circi.

circiter horam; unde qui comedit, quando horologium rotale dat signum mediæ noctis, verè comedit mediâ horâ post mediâ noctem, si rigorosè, & mathematicè sit res mensuranda, non verò ita, si moraliter, & humano modo, juxta modò dicta n. 3. & 4.

8. Quæres secundò; si ego cœnans cum carnibus serò diei Jovis e. gr. vel serò ultimi diei Bacchanalium, audiam signum mediæ noctis, obligabòrne statim cessare ab illis comedendis? Et quidem quæri potest, si comedam cibos quoscunque, & die sequenti incidit dies Jejunij.

9. Respondeo cum distinctione. Vel tibi rationabiliter persuades, signum illud esse certum, hoc est, certò indicans mediâ ipsam noctem; vel dubitas de certitudine ex eo, quia ejulmodi sive horologia, sive campanæ etiam regulatissima, semper per quadrantem plus minus à veritate aberrant, ut notat Caramuel in p. tom. Theologiae Fund. à num. 205. Si primum, debes omninò cessare, quia secus comederes tempore pertinente ad diem sequentem. Si secundum, recurrit doctrina modò allata n. 6. tunc enim eris dubius de mediâ nocte.

CAPUT IX.

De Diebus, in quibus est jejunandum.

1. **I**nquies: quinam sunt anni dies, in quibus Fideles jejunare obligantur?

Respondeo. Certum est, esse sequentes primò, omnes ferias Quadragesimæ, item quatuor tempora, item aliquas vigiliis infra annum; denique omnes ferias sextas, & sabbati quoad abstinentiam à carnibus. Jam separatim dicamus de singulis.

Quadragesima.

2. **O**mnibus ferialibus diebus Quadragesimæ est Ecclesiasticè jejunandum, hoc est, à feria quarta Cenerum usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè. Excipe Mediolanenses, qui ex suo legitimo ritu non jejunant illis quatuor diebus, qui præcedunt Dominicam primam Quadragesimæ, quæ tamen Jejunia compensant jejunando in tribus Rogationum.

3. Dixi (*ferialibus diebus*) nam in Dominicis non jejunatur, sed solum abstinetur à carnibus & lacticiis, ut supra dictum est.

4. Dixi item (*usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè*) nam quamvis illud Sabbatum sit dies lætitiæ, & exultationis; unde videtur, tunc non esse jejunandum, vel saltem videtur, posse lætitiæ ientaculum largius more privilegij Natalis propter illud S. Thomæ 2. 2. q. 147. art. 5. ad tertium docentis, Jejunium exultationis non cadere sub præceptum, sed esse ex instinctu Spiritus Sancti, nam propterea, ait, ab Ecclesia non esse institutum Jejunium toto tempore paschali; nihilominus neutrum licet in dicto die Sabbati Sancti; sedque sive ex consuetudine, sive ex sensu Fidelium, sive ex legitima Ecclesiæ traditione, virtualiter, seu implicitè à Fidelibus

delibus habita, & observata: fatemur enim de hac re, non esse jus scriptum, ut advertit Georgius Gobat *de Jubilæo* c. 28. n. 108.

5. Quæres, qui fortè habet hunc actum? ego nolo jejunare per totam Quadragesimam, & de factò non jejunat, quot peccata committit numero distincta, singula Confessori aperienda?

6. Respondeo: Si de unico actu interno voluntatis agas, probabile esse, unum numero peccatum à te committi, quia supponitur, esse dumtaxat unus moraliter actus, esto, terminetur ad plura numero objecta. Quare tunc satis erit, sic te accusare apud Confessarium: semel elicui actum, seu semel nolui per totam Quadragesimam jejunare; ut in simili casu dictum est de eo, qui semel unico volitionis actu proposuit multa eiusdem rationis perjuriam committere.

Si verò agas de executione, qua de factò non jejunes, tot peccata numero committis, quot dies sunt in Quadragesima quia pro singulis diebus præcipitur Jejunium, & in executione talis inobservantiæ non est invenire unum quid, in quo moraliter uniantur singulorum Jejuniorum omissiones. Lege de Lugo, *de Penitent. disp. 16. à num. 559.* & Leandrum *de cens. disput. 7. quest. 44.*

Quatuor Tempora.

7. Feria quarta, sexta, & sabbato quatuor Temporum adest semper obligatio jejunandi. Scio, Jejunium quatuor Temporum, quod incidit infra

Tambur. de Præcept. Eccles.


Octavam Pentecostes, non esse de jure scripto, atque esse Jejunium lætitiæ; unde videatur esse sine obligatione, vel saltem cum jentaculo pinguiore; tamen idem hic dicendum, quod modò diximus *num. 3.* de Sabbato Sancto. Lege Fagnandez, *Præcept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 6.*

Vigilia.

8. Obligantur etiam Fideles jejunare in Vigiliis Natalis Domini, Assumptionis SS. Virginis, Pentecostes, Apostolorum, omnium Sanctorum, Sancti Laurentii, & S. Joanni Baptistæ. Excipe ex Apostolis Vigiliam Sancti Philippi, & Jacobi, tunc enim non jejunatur, quia incidit intra tempus Paschale, quando Ecclesia *in capitulo Scire disp. 13.* non vult Jejunia præcipere toto tempore Paschali.

9. Quæres: Estne probabilis sententia Leandri, & Pasqualigi, *de cens. 43.* eum citantis, qui liberalitatem jentaculi concessam in Vigilia Natalis Domini, de qua diximus supra, extendant ad Vigiliam Pentecostes, ob eam rationem, quòd sit Jejunium exultationis? Quid de aliis, qui propter eandem rationem idem extenderunt ad Vigiliam S. Laurentii, Sancti Joannis Baptistæ, & omnium Sanctorum?

10. Respondeo: Hos Auctores nullo modo esse in hoc audiendos; & certè, si non ob aliam similem rationem dictam *num. 3.* illa nobis satis, superque est, quia nullus ex timoratis Fidelibus id exequi audeat.



De Voto Jejunandi in aliquo die festivo, vel Dominica.

11. **H**ic tria sunt addenda. Additio prima. Si festum Jejunio pridiano colendum incidat in diem lunæ, tunc erit jejunandum, non quidem die Dominico, sed sabbato præcedente, ut præcipitur *Capitulo ex parte de observantia jejuniorum*. Unde rectè colligit Pasqualigus, quod si quis Jejunaret die Dominico, aut ante Sabbatum non satisfaceret præcepto Jejunii, quia in dicto *capitulo ex parte* statuitur, ut in hoc casu die Sabbati jejunetur, atque adeo illi diei præceptum Jejunii assignatur.

12. Hinc etiam fit, ut si quis voverit jejunare in Vigilia alicujus festi; incidatque festum in diem lunæ, cum semper votum (nisi quid expressius voveatur) more Jejunii Ecclesiastici emitti intelligatur; sic inquam, ut Jejunare teneatur die Sabbati.

13. Quid, si ego voverim (ut in aliquibus locis Fideles usurpant) Jejunare per totam annum in eo die, in quem incidit aliquod festum e.g. Sanctissimæ Virginis Annunciatæ, incidat autem in die Dominico, tuncne jejunabo?

Respondeo: Mihi videri certum, non esse Jejunandum die Dominico, sed in alio die hebdomadæ, à me eligendo, & congruum esse eligere, vel diem sequentem, vel antecedentem proximiorum, hoc est, vel diem lunæ, vel diem Sabbati. Nec puto, pro hac commutatione necessariam esse dispensationem, quia satis dispensat Ecclesiæ universalis

consuetudo, per quam non jejunatur die Dominico. Idque puto etiam de abstinentia à carnibus, vel lacticiis; si nimirum quis voverit se ab his abstinere per totum annum in die, quo incidit dictum festum; hic enim congruum est, ut abstinere die lunæ, vel præcedentis Sabbati, & libera sit comestio diei Dominica, quam liberam Ecclesiæ mos in signum lætitiæ Resurrectionis Domini esse vult.

Dixi modò (vel in præcedente) sed certè, re melius considerata, puto, eligendum esse diem sequentem, hoc est, diem lunæ. Ratio est, quia si in antecedentem commutes, hoc est, in diem Sabbati, minùs te mortificas, nam in illo die Sabbati, jam ex præcepto Ecclesiæ debes abstinere à carnibus.

14. *Quæres*: Si quis expressè voverit Jejunare die Dominico; vel si ex voto, siue ex devotione ieiunare, peccarène?

Respondeo: Prohibitionem Jejunandi hoc die factam esse olim ab Ecclesiâ (ut habet Pasqualigus *decis. 174.*) in detestationem quorundam hæreticorum, qui ex variis erroribus ducti dicebant, tunc esse Jejunandum; & præsertim in detestationem eorum, qui negantes Domini Resurrectionem, diebus Dominicis in contemptum illius ieiunabant, ut notat Fagundes, *Præcept. Eccles. 4. lib. 1. cap. 5. num. 2.* *Quæres*, qui ex aliquo errore, vel superstitione ieiunaret, peccaret graviter, quia sic protestaretur aliquem ex illis erroribus, & contemneret in re gravi morem Ecclesiæ. Atque de hoc loquitur S. Augustinus *Epist. 86. ad Casulanum*, eo

tempore, quo vigeant illi hæc co-
rum errore: dum sic scribit: *Quis-
quis diem Dominicum cum Jejunio de-
cernendum putaverit, non parvo scan-
dalo erit Ecclesie: in his enim rebus, de
quibus nihil certi statuit Scriptura Di-
vina, mos populi DEI, vel instituta
majorum pro lege tenenda sunt.*

Verùm si id quis faceret ob quandam
singularitatem, solum peccare veniali-
ter, docet Sanchez l. 2. *summa, cap. 3.
num. 13.*

Si autem faceret verò ob devotio-
nem, & exercitium virtutis, non esset
reprehendus, immò esset commen-
dandus; modò non faceret consuetudinem
in die Dominico, ut dies est Domini-
cus; quia sic faceret contra Ecclesie
consuetudinem.

*De Vigilia incidente in festum
Corporis Christi.*

15. **A**dditio secunda: quando Vi-
gilia S. Joann. Baptistæ inci-
dit in festum Corporis Christi, ieiunandum est feria quarta pridie scilicet
talis festi, quia ita præcepit Urbanus
VIII. 13. *Octobr. 1638.* & merito, ne tan-
ta festivitas, & lætitia misceatur cum
mæstitia Jejunii. Hinc, qui tunc ieiunaret ipso die Corporis Christi, non
satisfaceret præcepto de Jejunando in
tali Vigilia. An tunc cum translatione
Jejunii debeat etiam transferri officium
dicam *infra cap. 11. a num. 16.*

*De violante Jejunium ex vo-
to & Præcepto.*

16. **A**dditio tertia: An qui violat
Jejunium, quando præcipitur

duplici præcepto, duplex peccatum
committat? si e. g. Vigilia S. Matthiæ
incidat in diem Quadragesimæ, qui tunc
non jejunat, duplici numero pecca-
to peccat?

Respondeo: Dupliciter peccare te-
net cum aliis Coninch, *diss. 7. de Sacr.
dub. 9.* quia violatio cujuscunque præ-
cepti peccatum est.

Semel peccare tenet cum multis San-
chez *lib. 9. de matr. diss. 15. num. 6.* unde
in confessione satis est dicere, semel
præceptum Jejunii non observavi. Ra-
tio est, quia peccata non multiplican-
tur numero ex sola multiplicatione
præceptorum, quia supponimus, unum
esse Jejunium violatum, quod unico a-
ctu frangitur, sed nec multiplicatur
specie ex multiplicatione præceptorum,
quia tunc specie multiplicatur in uno;
eodemque actu, hoc est, tunc unus a-
ctus continet multas malitias diversas
specie, quando actus est contra multas
virtutes; at prædicta violatio Jejunii
est solum contra unam virtutem tempe-
rantia, ex cujus motivo emanant illa
duo præcepta, ut supponimus; ergo,
&c. Per hoc autem non negamus pec-
catum hoc ex duplici præcepto violato
habere majorem gravitatem; sed quia
hæc major gravitas est solum circum-
stantia aggravans, quam non esse ne-
cessè explicare in confessione, est valde
probabile, ideò hæc, de qua loquimur,
explicare non oportebit.

17. Ex doctrina autem data vides
discrimen valde notabile inter casum
prædictum, & votum; nam si quis vo-
visset e. g. Jejunare in dicta Vigilia S.
Matthiæ, quæ fortè incideret in diem

VRINI
I
URR
III
16

Quadragesimæ, & tunc non Jejunaret, illa violatio duas specie diversas malitias haberet, utraq; Confessario manifestandas, quia tunc jejunans peccasset contra Ecclesiæ legem, jubentem Jejunium ex motivo virtutis temperantiæ, & item peccasset contra proprium votum, quod est veluti lex, quam sibi vovens imponit, quæque est ex alio motivo, nempe ex virtute Religionis.

Pari modo, quia Religiosus e. g. Ordinis Minorum S. Francisci tenetur Jejunare ex præcepto Regulæ die Veneris cujuscumque hebdomadæ, si hic dies simul concurret cum Vigilia, & Religiosus non Jejunet, duplici specie malitia peccat, nempe contra obedientiam propter violatum præceptum Regulæ, & contra Religionem propter violatum votum contra promissionem factam DEO. Lege Leandrum, in *Præcept. Eccles. disput. 9. quest. 5.* aliosque ab eodem citatos.

De Jejunij voto facto ab antecessoribus.

DE hoc vide supra in tract. 1. cap. 7. à num. 23.

De Jejunio imposto à Confessario.

18. **Q**Uæres hic denique, quid de Jejunio injuncto à Confessario? Respondeo, quamvis expediat, ut in pœnitentiam Confessarius injungat illud opus, ad quod aliàs pœnitens non tenetur; immò si nihil addat explicando mentem suam Confessarius, semper intelligatur de opere aliàs non debito, ut si dicat: Jejuna semel in fe-

quenti hebdomada, intelligitur de alio Jejunio præter illud, quod fortè ratione alicujus vigiliæ incidit in prædictam hebdomadam; tamen quia potest Confessarius injungere pro pœnitentia illud opus, ad quod aliàs tenetur pœnitens, idè rectè quæris, an tunc si pœnitentia illud opus negligat, peccet duplici specie peccato; ut si dicat Confessarius: Jejuna cras, quando erit vigilia, vel dies Quadragesimæ, vel quatuor Temporum.

Respondeo: Duplici peccato specie diverso peccare, altero contra obligationem ortam ex Ecclesiæ præcepto, altero contra obligationem ortam ex Sacramento Pœnitentiæ. Quare de utraque expressè debet deinde pœnitentem se accusare in confessione. Ut docet Vasquez, aliique apud de Lugo *disp. 25. de Pœnit. sect. 5. n. 67.*

Rogationes, & dies adventus.

19. **I**N diebus Rogationum, & in Adventu non est obligatio Jejunandi, ut praxis Fidelium satis ostendit. Excipe pro Rogationibus ritum Ecclesiæ Mediolan. cujus meminimus *num. 1.* & excipe pro Adventu eos Religiosos, qui ex propria Regula ad servandum Jejunium eo tempore obligantur.

Feria sexta, & Sabbato.

20. **I**N diebus feriæ sextæ, & sabbati est non obligatio jejunandi, sed solùm abstinendi ab edendis carnibus; nam (quidquid olim usurpatum fuerit) certè hodie sic servatur in Ecclesia Occidentali, hoc est, Latina: (nam in Orientali Græci loco sabbati servant suam

nam abſtinentiam die Mercurij. Præceptum autem de hac noſtra abſtinentia in die ſabbati, ſic imponit Gregorius VIII. in c. *Quia dies de consecr. diſt. 5.*

Quia dies, inquit, Sabbati apud Patres Sanctos noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus; Nos eorundem auctoritatem ſequentes, ſalubriter admonemus, ut quicumque ſe Chriſtiana Religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carniſum eadem die (niſi majore feſtivitàte interveniente, vel infirmitate impediēte) abſtineat.

21. Ex hoc tamen textu ne duo inferas: primò, hoc non eſſe præceptum ſub mortali, quia textus dicit (*admonemus*) quod verbum potius indicat conſilium, quàm præceptum. Secundò, poſſe in omnibus ſabbatis, in quibus incidit aliqua major ſolemnitas, comedi carnes, quia textus habet (*niſi majore feſtivitàte interveniente*) ne, inquam, hæc inferas. Non primum, quia in textu additur (*qui ſe Chriſtiana Religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carniſum eadem die abſtineat.*) Quoniam ergo tuus eſus carniſum in tali die oſtendit, te nolle eſſe participem Chriſtiane Religionis, peccabis certè graviter, ut rectè notat Paſqualiguſ decif. 176. num. 3. Non ſecundum, quia praxis Eccleſiæ id ſolùm ad Natalem Domini reſtrinxit, ut per ſimilem occaſionem ſupra notatum eſt.

22. Quæres: Si quis vovit generaliter omnibus diebus Sabbati (vel etiam Veneris) jejunare; ſi tunc incidat feſtum Natalis Domini, potèſtne licite carnes comedere, & votum non ſervare.

23. Reſpondeo. Poſſe, ſi tamen excipias illos, qui vel ex obſervantia ſua Regulari, vel ex voto ſuo particulari expreſſè voverunt in tali die jejunare, etiamſi in illum incidat feſtum Natalis Domini. Ratio hujus exceptionis eſt, quia ſic expreſſè te ligavi, vel ex vi illius voti, vel ex vi ipſius Regularis obſervantiæ à te aſſumptæ. Ratio reſponſionis eſt, tum quia ut habet Molina tom. 2. diſp. 272. num. 3. non eſt veriſimile, quòd qui cum illa generalitate vovit, voluerit includere diem tantæ ſolemnitatis, & recedere à more Eccleſiæ, tum quia, ut habet Fagund. præcep. 4. lib. 1. cap. 6. num. 6. in ea generalitate non conſtat de intentione voventis; ergo votum non alio modo obligabit, niſi juxta dictum Eccleſiæ morem.

CAPUT X.

De Excusatis à jejunandi obligatione.

1. **D**iximus ſupra cap. 2. de iis, qui non obligantur præcepto Jejunij; nunc de illis dicendum, qui, tametiſi obligentur, propter aliquam tamen cauſam excuſantur?

Senes.

2. **I**nquires ergo primò: An ſenectus excuſet à Jejunando, & ab abſtinentia carniſum in diebus veſtitis?

3. Reſpondeo, quòd ſola ſenectus non det veniam comedendi carnes in diebus veſtitis, eſſe certum; idemque dicendum de lacticiis. His enim ſenibus:

Xx 3

nibus;

nibus, ut notant Azor, Navar allati à Quintanad. tom 2. tract. 3. sing. 4. solum ratione ætatis ea conceduntur, quæ requirit talis ætas ad sui sustentationem; at ad hanc sufficit, pluries cibum legalem sumere. Quòd si seni noceant cibi hi Quadragesimales, tunc profectò excusabitur ab illorum abstinentia. Verùm id non erit ratione ætatis, sed infirmitatis, de qua mox dicendum erit.

4. At verò, quòd ipsa mera senectus excuset ab obligatione semel tantùm plenè comedendi, est ferè certum, quia omnes Doctores id concedunt, & quidem meritò; quia ipsa mera senectus reputatur infirmitas, quæ indiget frequentiore cibo, & ex alia parte hujus indigentia satis consulitur per cibos quadragesimales.

5. Difficultas ergo hinc illa est, discernere quoto anno dicetur quis jam senectutem ingressus esse, unde non obligetur ad Jejunia?

Dico jam hodie ex communi sensu DD. (nam in jure nihil expressum est) eum esse senem quoad excusationem à jejunando, qui annos habet sexaginta, quia tunc vires hominis notabiliter sunt cadentes, quamvis externè quis appareat vegetior, seu fortior, ut testatur Galenus de sanitate tuenda; licet autem aliqui DD. requirant annum sexagesimum completum, tamen alij cum Joanne Sanchez, & Trullench, lib. 3. in Decal. cap. 2. disp. 4. num. 3. meritò dicunt, sufficere, ut ejusmodi annos quis attigerit, tamen non compleverit, quia adhuc tunc putatur ætas valde cadens. Vide, quæ diximus sup. cap. 4. num. 38. & 39.

6. Quæres primò. Quòd dictum est de sexagenario quoad Jejunia Ecclesiastica, idè mne sentiendum de Jejunio ex voto? Si quis e. g. voverit jejunare per totam suam vitam die Sabbati, obligaturne ad ejusmodi votum Jejunii post ætatem 60. annorum?

Respondeo. Probabile esse, excusari, etiamsi addiderit (in perpetuum) vota enim jejunandi non præsumuntur (quando tamen contrarium quò non intenderit) emitti, nisi ad modum Legis Ecclesiasticæ.

7. Sed quid, si quis voverit sic volo jejunare per totam vitam meam, etiam in senectute post annos sexaginta?

Respondeo. Tunc per se, & ratione voti obligabitur; quia votum lætendit juxta intentionem voventis.

Dico (ex vi voti) nam si deinde in ea ætate adeò sit debilis, ut illi notabiliter noceat Jejunium, ex alio capite excusabitur, nempe ex infirmitate, ut modò in simili dictum est.

8. Quæres secundò; èstne probabile, fœminas non obligari ad Ecclesiastica Jejunia, quando attingunt annum quinquagesimum?

Respondeo. Mihi non videtur probabile, quia non invenio jus, nec rationes, hanc Indulgentiam solidè confirmantes. Ita Fagundez 4. Eccl. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 11. & Layman lib. 4. c. 1. n. 3. Quòd eòim dicunt aliqui, fœminas facilius senescere, sicuti citius pubescunt, non convincit, quia ex alia parte à Jejunio, ut omnibus est comperitum, non perinde ac homines, hoc est, non multum macerantur. Non nego tamen, si qua tunc

ita sit debilior, ut multum molestia suis vicibus interat Jejunium, posse Jejunium negligere: verum id non erit ex ætate, sed ex infirmitate.

9. Post hæc scripta incidi in Bertrandum Loth, qui *tract. 19. q. 3. art. 4.* conatur probare, esse probabile, feminas exculari post quinquaginta annos. Scio etiam, aliquos excusare illas saltem post annos quinquaginta quinque; sed non est recedendum à nostra sententia propter rationem à nobis allatam, quæ solvi difficulter potest.

Infirmi quoad ipsum Jejunium.

10. **I**nquires secundò: an, & quæ infirmitas excuset à jejunando?

Respondeo. Notabiliter infirmos, & valetudinarios sine dubio ex omnium DD. consensu cum Sanchez *lib. 5. cons. cap. 1. dub. 14.* excusari, etiam si antea in infirmitatem inciderint propria culpa.

11. Idem dic de eo, qui ita ob debilem stomachum friget, ut unicam plenam refectionem, quanta scilicet ad plenam nutritionem est necessaria, sumere non possit; is enim cogitur sumere duplicem, non plenam, atque adeò legitime Jejunium violabit.

12. Idem de eo infirmo, cui fortè Jejunium conduceret ad sanitatem; nam, esto, peccet contra temperantiam, vel sui charitatem, non jejunando; tamen, quia est notabiliter infirmus, non peccat contra præceptum Ecclesie, quæ omnes infirmos eximit à Jejunio.

13. Idem de eo, qui noctu dormire per notabile tempus, vel calefieri

notabiliter non potest, tenet Ezgundez & Joan. Sanchez, aliique apud Quintanaduennas *tom. 2. tract. 9. pag. 17.* qui Ezgundez & Sanchez non obligant hunc jejunare in meridie, & plenè se reficere serò, ut sic commodè dormiat; sed Quintanaduennas obligat, cui nos consentimus *sup. cap. 6. num. 34.*

13. Addidi autem illud (*notabiliter, vel notabile*) quia notandum est, non quodlibet leve valetudinis detrimentum, qualis est e. gr. extemporaneus, & brevis, remissusque dolor capitis, vel quid simile, sed verè grave, licet fatear, propter Ecclesie benignitatem non necessariò gravissimum debere esse illud, quod à præcepto jejunandi liberum hominem reddat. Insuper non est expectandum ipsum actuale detrimentum; sufficit enim timor rationabilis de damno per jejunium inferendo; timor, inquam, non levis, sed mali notabilis.

15. Et quidem communiter conscientia ipsius jejunantis sufficiet, quæ bona fide, sive ex experientia præterita, sive ex probabili ratione putet, sibi graviter nociturum Jejunium, vel damnum sibi evenurum. Magis autem in particulari habe hanc exactissimam regulam.

Illam infirmitas, seu illud damnum salutis notabile est, quod operationes ordinarias cuiuslibet persona impedit; ita ut, qui consuetudo suo modo operandi eas continuare commodè cum Jejunio nequeat, graviter ab illo offensus, censendus sit.

16. Hinc si Scholasticus ex Jejunio capite dolere soleat, vel quomodo-
docunque

docunque cum difficultate studeat; si mulier ex debilitate Jejunii servitia domus incommodè operetur; si vir quilibet suum officium, artemque jejunando difficulter exercent, & similes, ex hoc capite damni à jejunando legitimè excusabuntur.

17. Nutrientes, prægnantes, huc reducantur; propter salutem enim, sive infantis, sive suam à Jejunio communiter excusantur. Nec excusantur modò à Jejunio, sed etiam tenentur comuniter, ait Leander *disp. 5. de Jejunio q. 76.* non jejunare; quia pro nutrimento fœtus, & suo non sufficit una comestio: carnes autem tunc solùm comedere iis nutrientibus & prægnantibus conceditur, quando sic complexio, & necessitas earum, vel infantium exposcit; sed de hoc dicemus infra, *ubi mox num. 24.* Quintana aduenas ex placito cujusdam Medici aliquantò benigniùs loquitur.

Quod de his dictum est, puto etiam de fœmina, antequam concipiat, si à Medicis judicentur Jejunia matris nocitura proli suscipiendæ, quia multum grave est, fœminam conjugatam, prolem probabiliter in utero concipiendam, fovere non posse, & sicuti alia remedia, sic etiam convenientia alimenta, debet ponere, ne fœtus fortè concipiendus elanguescat.

18. Quæres primò. Si ego maximam difficultatem sentiam in jejunando, possùne mihi persuadere, hanc esse infirmitatem, meque à jejunio deobligare? Dico (*maximam*) nam scio, molestiam aliquam in Jejunio residere, nec propter hanc posse, me ex-

culari. Ago igitur solùm de difficultate magna, & extraordinaria.

19. Respondeo. Si difficultas oritur ex malo habitu tuo, tuaque gulositate, etiam si sit magna, obligaris eam vincere, & jejunare ex *Filiucci tract. 27. p. 2. c. 6. quest. 1. num. 12.* omnes enim tenemur malos habitus, quamvis inveteratos extirpare. At si difficultas oritur ex prava corporis dispositione, quia e. g. stomachi notabilem, atque extraordinariam debilitatem sentias, vel insolitam lassitudinem, & similia, excusaberis à Jejunio, etiam si ejusmodi debilitas orta fuerit ex malo habitu, nimis olim comedendi, quia, tunc ejusmodi incommoda reducuntur ad corporis infirmitatem.

29. Quæres secundò. An in die Jejunii licitè quis sumat aliquid electuarii, vel saccaro conditum, vel quid simile, ut sanitatem, vel recuperet, vel conservet?

Respondeo. Ut recuperes notabilem salutem amissam, ne sit dubium, quòd possis tantum sumere, quantum proportionaliter ad salutem recuperandam judicatur necessarium; quia Ecclesia, ut dictum est, non præcipit Jejunium cum tanto tuæ salutis detrimento. At, ut præservet, vel conservet, distinguendum est: si enim de propinquo prudenter timeatur agritudo, potest: quia id etiam præsumitur concedi à benignitate Ecclesiæ. Verum si agritudo non timeatur de propinquo, licet concedat Pasqualigus *dec. 123. loco cit. q. 12.* quia sic non luseretur id per modum medicinæ, quæ supponit vel malum actuale, vel saltem de propinquo.

pinguo. Adde, hoc modo nimiam dari ferè omnibus licentiam, Jejunia negligendi; omnes enim de remoto timent agridudinem.

Infirmi quoad carnes comedendas.

23. Inquires tertio. Quænam infirmitas concedit utum carniùm in diebus prohibitis?

Respondeo, certum esse, ei, cui ex periti judicio nocent graviter cibi legales, licitum esse adhibere carnes.

Aniadvertit autem Quintanaduennas, tom. 2. sing. tract. 9. sing. 1. cum Joân. in Cruz, Trullench, Joan. Sanchez, illum, qui expertus sibi nocivum jam esse in Quadragesima, vel diebus prohibitis, carnes non comedere, non teneri futuris Quadragesimis à carnibus abstinere, nisi maxime dubitetur, causam nocimenti cessasse. Addit ibidem sic idem Quintanaduennas: Illis etiam, de quibus prudenter timetur, aut probabiliter dubitatur, an carnibus non utendo, grave, aut considerabile damnum perpeffuri sint, elus carniùm concedi potest, quia in dubio à me benignior pars, aut interpretatio est tenenda; & quia in dubio melior est conditio possidentis, cum in homine certior, & antiquior sit possessio, & ius non solum ad conservandam vitam, sed etiam ad eam non exponendam periculo amittendi, quamvis adsit possessio præcepti abstinendi à carnibus, melior est illius, quam istius conditio; præsertim quia cum idem jus habeatur ad vitandum damnum salutis, quam ad illud vitandum, de quo probabiliter dubi-

Tambur. de Præcept. Eccles.

tatur, ergo si ad illud conceditur elus carniùm etiam ad istud. Hactenus Quintanaduennas afferens pro hac sententia utrumque Sanchez, Sylvestrum, Trullench, Henriquez.

22. Singulos autem morbos in particulari recensere, quibus concedi potest carniùm usus, ad medicos potius pertinet, quam ad Theologos. Nihilominus proferam hic nonnulla ex ijs, quæ prædictus Quintanaduennas affert loc. cit. sing. 1. ex insigni medico, ut ipse ait, Petro de Peramoto, qui in libr. de piscium insalubritate sic habet pag. 1.

23. Qui licet ad præsens sani sint, per successivam tamen alterationem morbis aliquibus corripitur certis temporibus solent, Epylepsia scilicet distillationibus, podagra, renum calculo, aut aliquo febrili genere, iis talem victum convenit præscribere, qualis cum morbo, ad quem sunt proclives, infestantur, præscriberetur.

Et interiùs: Malè autem sanis, & iis, qui ipsis sunt viciniore, esus carniùm intrep. de est concedendus. Quibus annumerandi sunt pueri, qui primum septennium non sunt transgressi, & senes, qui sexagesimum suæ ætatis annum excefferunt. Verùm de his tenibus vide, mox quæ dicam n. 25.

24. Uterum item gerentes, quæ rustica, & valida non sunt, & insuper, quæ pueros nobiles lactant nutrices. Religiosi insuper & alij, qui cum boni viri sint, valde de se conqueruntur, quidam enim sunt, qui conqueruntur de vertigine; dormire nequeunt alij; plurimi verò ad opera, & officia sibi injun-

Y y

Et

Et debiles, ac parum apertè redduntur, quæ omnia carniū esu corrigi experimur. Hæc ex Peramoto Quintanaduennas.

His rectè addit Leander, *diff. 5. de Jejunio quæst. 57.* Prægnantibus debere dari carnes, si eas vehementer appetant, quia aliàs esset periculum abortus, ut notat Azorius, Bonacina, Trullench.

25. Pergit deinde sic Quintanaduennas, limitando meritò dictum Peramoti. In quibus non placet, sexagenarijs esum carniū concedere, cùm ratione ætatis non eximantur à negativo præcepto carnes, immò & lactinia non edendi in diebus prohibitis, sed solùm à Jejunio. Conceditur autem sexagenarijs esus carniū, aliquam causam habentibus, licet esset levior, quàm illa, ob quam concederetur alijs ante hanc ætatem.

26. Et paulò post. At verò, ait, omnibus præfatis major causa debet adesse, ut per annum diebus prohibitis carnes edant, quàm in Quadragesima, cùm in hac per quadraginta dies continuos piscibus vesci, majus nocentum haberi, aut timeri possit, quàm haberetur, aut timeretur in horum ciborum comestione per unum, aut duos dies in qualibet hebdomada. Hæc ille.

Infirmi quoad lactinia.

27. **I**nquires quartò: quid de infirmis quoad lactinia?

Respondeo: Verbis ejusdem Quintanaduennas *loc. cit. num. 5.* Omnibus, ait, qui aliquod damnum medio-re actuale, vel habituale patiuntur,

vel pati, sunt experti, vel pati timent, in valetudine, concedi possunt lactinia, & ova etiam sine dispensatione, licet hoc damnum, vel timor, aut debium illius, sit gradus aliquantulum inferioris illo, quem necessarium esse diximus pro comendis carniū. Quæ doctrina præcipuè locum tenet in Hispania, tum ob consuetudinem, tum ob privilegium Bullæ, quod, ubi viget, facultatem hanc faciliorem reddit. Addit primò paulò post, satis esse quæcumque capitis dolorem, licet levem quæcumque inflammationem gutturum, aut oculorum ad comedenda lactinia diebus veritis: Addit 2. *singul. 5.* Omnibus etiam ferè, quia sua officia, & occupationes suas non æque bene piscium esu exercere, aut his attendere valent; unde omnibus Canonicatoribus frequenter, bis e.g. in hebdomada Quadragesimæ prædicantibus. Omnibus Magistris Philoſopiæ, & Grammaticæ, qui saltem duas lectiones unius horæ habent quotidie mane, vespere, ac similibus. Addit tertio, Omnibus item, qui sedulò ad studia, sive scholastica, sive moralia, sive politica, incumbunt, ut sunt Magistri plures, præsertim Religionum, & eorum Religiosi scholastici (de his expressè docti Juniores, & inter eos doctissimus Pater Idelphontus Rodericus in materia de Jejunio.) Addit quartò, Illis item ea concederem, qui frequenter confessionibus adsunt, & Choro nimis prolixo, ut sunt Chartusiani, & S. Hieronymi Religiosi. Idem Advocatis, & jurisperitis, & studio incumbentibus. Idem sentit Diana de procuratoribus (vi-

(videlicet, ad lites.) De his omnibus ratio est, quia piscium esus præsertim continuus communiter lædit eos, qui ad exercitia mentis incumbunt.

28. Dixi tamen (ferè omnibus) quia aliqui ex numeratis ita robustæ naturæ, stomachi, & capitis esse poterunt, ut salubriter se jam diù habeant frequenti piscium esu, & ijs ova, & lacticia, sunt deneganda, si non adsit Bullæ Cruciatæ Privilegium. Hactenus ex Quintanaduennas.

Memineris autem, comedentes lacticia, & ova debere servare Jejunium; quia, ut in superioribus dictum est, stat essentia Jejunii cum lacticiis, quæ non stat cum carnibus.

Laborantes.

29. Inquires quidò: an, qui exercent artes, vel officia laboriosa, eximantur à Jejunio?

Respondeo, sanè eximi, quando ea ejusmodi sunt, ut cum illis ferè Jejunium, valdè difficile sit; quia exercitium, quod fit cum notabili labore, consumit spiritus, affligit notabiliter corpus, illudque debile reddit; id quod piam Ecclesiam velle, non est præsumendum. Et ita explicuit Eugenius IV. relatus in compendio privilegiorum Fratrum Minorum. Ver. Jejunium n. 2. & tenent omnes DD. apud Pasqualig. decis. 290.

30. At qua ratione sciam artem, vel officium tanto labore fieri, ut pertingat ad me liberandum à Jejunio?

Respondeo, esse illud officium, & artem, quæ exercentur cum magna agitatione, seu motu manuum, & bra-

chiorum, vel etiam pedum, ita ut motus fiat cum impetu.

31. Hinc ergo fit, ut Agricola; Ferrarij, Fabri lignarij, Cementarij, Fossiles, Fullones, Lapidicina, Bajuli, Pistores, Textores, Molitores per seipso, Coriarij, Remigantes, Mercenarij portantes suarum mercium capsas per urbem, Argentarij, Aurifici (ve malleo, vel simili gravi instrumento per laborem utentes excusentur.

32. Verùm hinc nota, laborem debere esse notabilem, nec per paucas horas, sed per notabile tempus, secus non militabit ratio consumendi spiritus, &c. Nam si quis Molitor e. g. parvo labore aquæ vi frumentum molat, vel Textrix leves victas texat, vel fullo duo, vel tria industria lavet, non dicitur laboriosè agere.

33. Scriptores verò, Notarij, Pictores, filium ex lino, vel lana nentes, Sartores, Lectores cujuscunque scientiæ, Confessarij, Medici, Chirurghi, Barbitonfores, quia non exercent officia, vel artes, per se laboriosas, non excusantur ex hoc capite à Jejunio.

Dico (ex hoc capite) nam si quis hæc, vel similia ex officio suo exercens, ita sit debilis, ut suum officium alijs leve, ipsi sit notabiliter laboriosum, à Jejunio per accidens, hoc est, ratione suæ complexionis excusabitur. Hinc Scriptor e. g. obligatur ad Jejunandum, quia scribendi officium levis est laboris, fortalsè modicè edens faciliùs scribet, quàm cibo refectus; tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sine duplici refectione suum munus obire nequeat, excusabitur certè per

Y y 2 acci-

accidens ratione sua complexionis. Idem dic de cæteris similibus.

34. Hæc sunt certa, sed adhuc dubitabis primò: An Artifex robustus, e. g. Arator, qui cum labore potest optimè sustinere Jejunium, an, inquam, à Jejunio eximatur?

35. Respondeo eximi. Ita Fagundez, *Præcept. Eccles. 4. lib. 1. cap. 8. num. 15.* Ratio est, quia ex se omnes Artifices laboriosæ artis excusantur; quare excusabitur & hic. Atque hujus rationis ulterior ratio est, quia laboriosis artibus vacantes frequenti indigent refectioe, ne in debilitatem incidant, quando minùs putant. Et quidem idem Fagundez illud addit *num. 16.* Artifices, vel similes laborantes, si fortè à suis laboriosis exercitijs vacent uno, vel altero die, non obligati regulariter ad Jejunia; quia, ne deficiant illis vires, legitimè possunt vel eas servare ad sequentia opera, vel easdem reficere pro operibus antecedentibus. At si multis vacent diebus, obligantur Jejunio, quia excusatio neque à præcedenti, neque à præsentis, neque à consequenti labore peti potest?

36. Dubitabis secundò quid, si ejusmodi Artifex Ferrarius e. g. sit dives, neque illo labore indigeat, potèstne nihilominus laborare, & non jejunare?

37. Respondeo, posse ex probabilis sententia, quam sequuntur Sanchez, Bonac. Trullench, alii que cum Leandro de *Præcept. Eccles. tract. 5. disp. 8. quæst. 82.* Ratio est, tum quia ex declaratione Eugenii IV. modò relata expressè eximuntur exercentes artes la-

boriosas, nulla facta exceptione pro divitibus; tum quia sicuti ceteræ leges respiciunt, quod est frequentius; ita lex de obligatione Jejunii respicit Artifices laboriosos, qui communiter ex arte victum quærunt, & sic comprehendit omnes, etiam illos, qui per accidens divites sunt. Et sicuti eadem lex de Jejunio liberat omnes infirmos à prædicto Jejunio, esto, quòd infirmus aliquis fortassè cum Jejunio meliùs se habeat, ita in casu nostro,

38. Dubitabis tertio, si quis artem, seu vivendi modum laboriosum non est ex sua conditione sortitus, potèstne ex sua voluntate laboriosum opus aliquo die assumere, & consequenter eo die non Jejunare?

39. Respondeo, si id faciat ex aliqua rationabili causa, ut quis e. g. carens homine, qui templum ad festum celebrandum ornaret, sanè posse. Idem erit si pietatis gratia iter pedestre arripiat ad sacram Imaginem inviscendam; si flagellis usque ad sanguinem se ex amore Christi Domini Passionis se notabiliter cædat; si ad servandum infirmis totum diem, etiam cum proprio lucro notabiliter laborando ex motivo misericordiæ, vel charitatis, consumat; ipsa enim pietas satis rationabilem causam dat in prædictis. Idem judico, si quando aliquod grave commodum laborando acquiram, vel incommodum à me grave repellam; tantæ enim gravitati indulgere putatur Ecclesia. Ita Lessius *lib. 4. de Just. cap. 2. num. 43.* At si sine causa, ut si quis pedester ad venandum e. gr. solùm ob voluptatem se conferat, vel pila ludat; mul-

multò magis si cum peccato, ut si ad ulterius iter arripiat, cum id sit ponere irrationabiliter directum impedimentum executioni præcepti; dum præceptum urget, illicitè contra præceptum jejunandi fiet. Quare non esse excusandum cenleo hominem nobilem, & divitem, qui vellet laborare, & sic non Jejunare in illo die Jejunii, etiam si laboraret non ob finem non Jejunandi, sed propter suam delectationem; cenleo, inquam, non esse excusandum, quia hunc non excusat ars, seu officium proprium, quo privare neminem intendit Ecclesia, neque necessitas neque pietatis virtus. Unde ergo excusationem exposcet?

40. At Trullench, *libr. 4. in Decal. cap. 2. disp. 3. num. 10.* cum Medina, Ledesma, & Verricelli, *de Missio. tit. 9. quest. 159. citante Dianam*, dicit: præceptum Jejunii non obligare ab abstinendo ab honestis actionibus, nam propter hanc eandem rationem idem Trullench, excusat eum, qui semel, aut iterum pilæ ludum assumit, licet prævideat, non posse deinde, propter laborem ludendi, Jejunare.

41. Respondeo negando, præceptum non obligare ab abstinendo ab honestis actionibus sine causa assumptis; siquidem, dum urget præceptum, vel est in proximo, obligor non apponere impedimentum ad præcepti illius executionem, quia secus possem die Dominico dormire, quæ certè est actio honesta, & sic excusari ab auditione sacri. Quare negandum omninò est, quòd tunc liceat pilâ ludere, nec semel,

nec sæpè (quia semper est par ratio) & sic non jejunare. Unde etiam infero, te non posse licitè sumere medicamentum, cum quo jejunare non potes in die Jejunii, vel cum quo audire sacrum non vales in die festivo, si nulla causa urget, & facile potes in sequentem diem illud assumere, vel ante prædictum diem Jejunii tibi de illo providere. *Lege Castropal. tom. 1. disp. de leg. p. 21. Merollam tom. 1. disp. 4. de leg. cap. 3. dub. 37. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 15.*

42. Admitto nihilominus tanquam certum, si (quamvis cum peccato) te ita defatigasti, ut non valeas Jejunium pati; peccasse te quidem, dum impedimentum Jejunio appoluisse, at poteris deinde sine novo peccato comedere, quia tunc verè incapax es macerationis Jejunii.

43. Hûc incidit illa quæstio, an, & quo peccato quis peccat, si noxios cibos comedat, unde sequatur, eum incidere in infirmitatem, qua impediatur postea ab observatione Jejunii?

44. Respondeo. Tres hîc casus distinguendos esse. Primus: *Ego cibos noxios comedo, vel nimis comedo; id est, excessivè, prævidens, me gravem infirmitatem contracturum, nihil tamen advertendo de Jejunio, peccone?* Dico, te peccare quidem contra temperantiam, & contra propriam charitatem, graviter, vel leviter juxta damnum, quod tibi infers; non verò contra præceptum Jejunii, quia in hoc casu nulla ratione advertis ad præceptum Jejunii.

45. Secundus casus est. Si prædi-
 cas cibos comedas cum prævisione
 tum futuræ infirmitatis, tum futuræ
 impotentiae, qua non jejunabis. Ad
 hunc dico, tunc peccari quidem mo-
 do dicto in casu præcedente, sed regu-
 lariter non peccari contra præceptum
 Jejunii, quia præceptum jejunandi est,
 ut in die præcepto jejunem, non verò
 ut in diebus ante præceptum me aptum
 reddam ad illud; hoc enim esset nimis
 onerosum Fidelibus. Quòd si illi no-
 xia comestioni conjungitur impotentia
 jejunandi, id per accidens est, tibi illam
 impotentiam non intendenti; neque
 enim ad comestionem sequitur tan-
 quam ex causa negatio Jejunii; nam
 hæc Jejunii negatio sequitur ad ipsam
 impotentiam ortam ex comestione.
 Quare negatio Jejunii est quid remo-
 tum respectu comestionis, ad quæ re-
 mota removenda non obligat præcep-
 tum.

Dixi tamen (*regulariter*) quia ita
 solet esse, ut infirmitas ex cibis noxiis
 non timeatur futura eodem die; si
 enim in aliquo raro casu prævideretur
 infirmitas futura in eodem die Jejunii,
 vel tempore illi diei proximo, peccaretur
 sanè contra præceptum Jejunii ex
 illo principio paulò ante à me allato,
 quia nimirum quodcumque præceptum
 de aliqua re obligat, ne, quando præcep-
 tum urget, vel est in proximo, ponatur
 impedimentum observationis illius:
 sicuti, ut ibidem dixi, præceptum
 de audiendo sacro die Dominico obli-
 gat ad non ponendum eodem die, vel
 proximè ad illum, somnum e. g. quo
 posito, ego illud audire non possum.

46. Tertius casus est. Si prævi-
 deas infirmitatem, prævideasque, te
 fore, eà contracta, impotentem ad je-
 junandum, & insuper intendas consul-
 tò noxia comedere, ut sic factus jam
 impotens, non obligeris jejunare. Et
 ad hunc casum dico, te illa comedendo
 peccare contra præceptum Jejunii, ul-
 tra peccatum contra temperantiam, vel
 propriam charitatem, etiamsi id facias
 multis diebus antea, intendasque mul-
 tis item ante diebus, quàm veniat dies
 Jejunii. Ratio est, quia sic haberes
 actum voluntatis, te subtrahendi à præ-
 cepto Ecclesiae, dum præceptum urge-
 bit. Non sic ille, qui exit de Territo-
 rio, ubi adest præceptum Jejunii, &
 transit eodem, vel præcedentibus die-
 bus ad locum, ubi non adest: vel ille,
 qui tentat obtinere legitimam dispen-
 sationem à præcepto; nam & ille se
 transferens ad eum locum, & hic dis-
 pensatus, sanè post transitum, vel post
 dispensationem à nullo præcepto urge-
 tur, illud enim à se veluti excussit legi-
 timè. At in hoc, de quo loquimur,
 etiam contracta jam infirmitate, reman-
 et, ut in cæteris Fidelibus præceptum.
 Id quod etiam dico de ludente pila, vel
 eunte ad venandum, deque similibus
 assumentibus ejusmodi voluntarias ac-
 tiones sine causa; unde intendat fieri
 impotens pro illo, vel sequentibus die-
 bus ad Jejunium. Is enim, quia per
 infirmitatem, vel debilitatem non excu-
 tit à se præceptum, sed solùm excu-
 satur ab illius observantia (valde enim
 diversa sunt, non habere præceptum,
 & excusari à præcepto, cui quis vetè
 subicitur, ut communiter docetur

tract. de legibus, & nos diximus supra cap. 2. num. 2.) quia, inquam, à le præceptum non extitit, sequitur eum delinquere, quia facit illum actum, illamque operationem exequitur, dum est sub præcepto; & dum facit hunc actum; volo noxia manducare, vel pilli ludere, ut sic excuter à Jejunio, ponit voluntarium impedimentum, ut illud præceptum, cui subditur, non observet. Et licet, quando est infirmus, non peccet non jejunando, quia ab impotentia excusatur, peccavit tamen, quando ad dictum finem non jejunandi impedimentum voluntariè admittit. Lege Thomam Sanchez in *conf. lib. 5. c. 1. dub. 7.* Joann. Sanchez *disp. 14. n. 20.* & Leandrum *tract. 5. de Jejunio disp. 2. quest. 158. & disp. 9. quest. 1.* Sed materia necessitas diutiùs nos coëgit in hoc casu immorari. Redeamus jam ad dubitationes de officii laboriosis.

47. Dubitabis ergo quartò de Sutoribus, Concionatoribus, de iter facientibus, an scilicet hi excusentur propter suum laborem à Jejuniorum observantia?

48. Respondeo, quoad primum. Sutores, qui ii sunt, qui calceos consunt, ego nequaquam excuso, sicuti *sup. n. 33.* non excusavi Sartores, quia non videtur ars sutoria, sicuti nec sartoria admodum laboriosa. At Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 43.* cum aliis excusat Sutores, non verò Sartores, quia tractare corium cum manibus, brachiis, pedibus, ut ii faciant, superat (ait Lessius) laborem Sartoris. Ego id eorum conscientis, qui suum laborem rectè callent, remitto.

49. Quoad secundum de Concionatoribus distinguendum puto. Si per totam Quadragesimam quotidie, vel etiam ter, vel quater in hebdomada, consuetam Concionem unius horæ plus; minus habeant ad populum, affirmativè; hoc est, excusari à Jejunio est respondendum; tamen si voluntariè, & cum spe lucri, seu elemosynæ (est enim opus per seipsum) concionentur. Legite Dianam p. 1. *tract. 9. resol. 10.* Si semel, aut bis in hebdomada, negativè est respondendum. Ratio utriusque est, quia frequens illa dicendi exercitatio juncta cum necessario mentis labore, labor videtur non contemnendus, qualis certè in raris concionibus non apparet. Quòd si quis adeò sit, vel fiat debilis ob unam, vel alteram concionem, tunc poterit à Jejunio excusari. Verùm id non est per se, sed per accidens, ratione talis personæ. Id, quod extendit Sanchez *lib. 5. conf. cap. 5. dub. 13. num. 16.* etiam ad diem præcedentem concioni, si debilitas judicio prudentis idem requirere videatur.

50. Quoad tertium, de iter facientibus est distinguendum. Nam iter faciens pedester per totum diem, vel majorem diei partem; ut faciunt Cursores, seu Tabellarij, litteras ex una civitate ad aliam portantes, excusandi sunt, quia verè hoc laboriosum est officium, non patiens Jejunium; at iter agens equestris, vel lectica, vel navi, per se non excusatur, quia contra is labor compatitur cum Jejunio.

Dico (*per se*) si enim ratione complexionis inermis, vel ob gravem nau-
scam

seam in navigio, vel quid simile aliquid illi accidat, quo notabile damnum patiatur ob Jejunium, nemo negabit, esse tunc illum excusandum. Qui autem navigans gravem nauscam patitur, & fortasse cibos etiam evomit, videtur indigere carnibus, ut stomacho vehementer laboranti succurrat. In quo tamen casu, & similibus certa regula dari non potest; sed periti, vel consilium, vel conscientia ipsiusmet nauscantis adhibenda pro regula est.

51. Nota denique, nonnulla ex prædictis confirmari, immò & probari ex Decret. SS. Alex. VII. cujus supra meminimus, qui in hac materia Jejunii præter propositiones, quas attuli cap. 4. num. 9. & cap. 5. num. 42. has alias damnat, quæ sunt 30. & 31.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione Jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Jejunio.

31. Excusantur absolute à præcepto Jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter unius dies conficiant.

Hæ propositiones sunt damnatæ, saltem tanquam scandalosæ, & sub peccato mortali prohibitæ, ne quis illas in praxim deducat.

52. Dubitabis quintò de Musicis, seu Cantoribus.

Respondeo, Ad hanc dubitationem sic respondet Joann. Sanchez disp. 44. n. 18. Cantatores, inquit, conducti ad canendum, sive salarium ob id habentes, possunt non servare Jejunium, si ad ca-

nendum redderentur inhabiles. Addit, eos posse in Quadragesima vesci ovii causa vocis conservandæ; non enim causa Jejunij astrictus est aliquis diminuti sum exequi munus. Hæc ille, quæ certè probabilia sunt, si addit illa cautio, quæ admodum est notanda (si ad canendum redderentur inhabiles.) Legatur etiam Diana p. 1. tr. 9. resol. 11. qui ait; Id urgentius procedere in Cantoribus canentibus in Camera ad Principis ejuscumque solarium. Hæc ille, & quidem probabiliter propter eandem rationem à nobis dictam, quia scilicet Ecclesia non intendit obligare ad Jejunia cum tanto dispendio, quo quis sua officia, suasque professiones ratione Jejunii exequi non valeat, sicuti de hoc Principis cantore supponimus. Nam ceterum, si supponas, id fieri propter solam voluntariam delectationem, sanè non esset apta excusatio, siquidem recurreret doctrinæ, quam supr. n. 38. & seqq. attulimus.

53. Dices; ergo vera esset consequentia, quam inducit Caramuel in Theol. Fund. Fundamento 53. §. 26. allatus à Diana p. 11. tract. 1. resol. 4. his verbis: *Musici, ait: à Jejunio excusantur: at omnes Religiosi, qui Clerorum habent, sunt Musici, nec sunt in Mundo Musici, qui plus cantent, quam hi Religiosi, ergo hi excusantur à Jejunio.* Hæc Caramuel.

Respondeo eo modo, quo rectè respondet idem Diana, loco cit. negando consequentiam, & afferendo disparitatem; nam Musici excusantur propter salarium, quod amitterent, & ne diminutè exercent munus suum, ad quod

quod tenentur, & ne reddantur inhabiles ad canendum cum periculo damni notabilis propter vocis amissionem; sed Religiosi satisfaciunt muneri suo canendo in Choro, sive cum voce sonora, sive cum rauca, nec timent (ut timent musici) esse dimittendos à seruitio Ecclesiarum, vel Principum cum suo notabili damno, sed semper securi sunt, sive bonam, sive malam vocem habeant, quod inuenient mensam paratam cum solitis cibis. Adde, musicos, qui canunt figuratè, non solum laborare corpore, sed etiam mente, siquidem egent maxima attentione ad notas musicales, & ad mensuram temporis, quam dat Cappellæ Magister, cum contra Religiosi absque labore cantant in Choro, canunt enim eodem temper modo consueto, & sono vocis facili.

§4. Si quæras, Religiosus ex adictis Choro, si cum Jejunio valde notabiliter elanguerit in canendo, dicto consueto modo (id ita supponatur) quid potius eligere obligaretur, choro satisfacere, non Jejunando; an Choram relinquere, & Jejunare?

Respondeo: Hoc posterius eligere omnino debere. Ratio manifesta est, quia obligatio satisfaciendi Choro est communitatis, quæ semper suos Choristas habet pro satisfactione Chori; at obligatio Jejunandi est personalis pro unoquoque Religioso; qui, si non potest cantare in Choro injejunus, satisfacere obligabitur Jejunus horarum Canoniarum obligationi privatim.

§5. Dubitatur sextò: An opinio illa sit probabilis, quæ docet, omnes

artifices, sive artem laboriosam exercent, sive non laboriosam, sed solum ex eo, quod sint artifices, eximi à præcepto Jejunij?

Respondeo, non esse probabilem. Quare non est audiendus Leander *disp. 8. de Jejunio quest. 69.* putans, eos omnes eximi, & afferens pro ratione, quia Eugenius IV. exemit omnes artifices, seu opifices, suas artes exercentes: non est, inquam, audiendus; quia Eugenius non omnes artifices, sed artifices laboriosas artes exercentes à præcepto jejunandi liberat. Et sanè miror (ut etiam miratur Patqualigus *decis. 37.*) quod Leander *in prædicta quest. 69.* non apposuerit illud verbum (*laboriosas*) cum ipsemet paulò ante, nempe *quest. 60.* attulerit declarationem Eugenii, illud verbum apponentis. Hæc sunt Eugenii verba, ut Leander ipse rescribit ex compendio privilegiorum Fratrum Minorum.

Idem Eugenius declaravit, quod artifices laboriosas artes exercentes; & rustici, sive divites sint, sive pauperes, non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis.

Hæc Eugenius, cum quo DD. omnes, & SS. Alex. VII. modò *num. 51.* relatus: ubi tamen nota, quod, cum dicit (*& Rustici*) intelligit, ut colligitur ex contextu de rusticis, qui laboribus vacant, secus nimis absolum esset, dicere, omnes rusticos etiam per annum otiantes à tam notabili præcepto Ecclesie liberari.

Confirmatur primò nostra responsio, quia si esset probabilis sententia prædicta Leandri, omnes artifices, etiam

tiam cuiuscumque levissimæ artis, etiam quando per longum tempus nihil laboris assumunt, à præcepto Jejunandi essent immunes; quia jam sunt artifices: quod inconveniens manifestè ostendit, non fuisse mentem Pontificis tam irrationabilem, qualem Leander affirmat.

Confirmat secundò, quia idem Leander *ibid. quest. 30.* volens exculare Barbitonores à Jejunio non recurrit ad dictam declarationem Eugenii; fortassè enim vidit, inde exculationem hanc deduci non posse; sed recurrit ad laborem talis artis, sic dicens: an Barbitonores ad præceptum Ecclesiasticum Jejunii teneantur? Respondeo affirmat teneri omnes Doctores pro prima sententia nuper allati, sed probabiliter dico, non teneri, dummodò per totum integrum diem suam exercent artem; secus, si per aliquam tantum partem diei.

Paupertas.

56. **I**nquires sextò: An pauperes excusentur à Jejunio?

Respondeo: Quòd, qui aded pauper est, ut non habeat, unde plenam refectioem faciat, non obligatur ad Jejunium, certum esse, quia tantam inedia Ecclesia non jubet. Quæritur igitur solùm hic debet primò, an obligatur ad Jejunium, qui solùm panem habet? Secundò an, qui panem, & vinum habet dumtaxat? Tertio an qui panem, vinumque habet, & simul aliquod obsonium ex levibus, vel olivas e. g. vel nuces, vel parvulum siccatum pisciculum? Quarto, an qui hæc habet

simul, hoc est, cum pane, & vino habet olivas, nuces, legumina, &c.

Dico jam primum, & secundum, hoc est, eum, qui solùm panem; vel solùm panem, & vinum habet à me non obstringi ad Jejunium, quia si nimis illud oneratum esset, & laboriosum, ad quod benignitas Ecclesiæ non præsumitur tuos fideles obligare.

De tertio, hoc est, de eo, qui panem, vinum, & leve onium obsonium habet, ego distinguere; si enim ita habet panem, vinum, unumque obsonium ex levibus dictis, ipsum obligare, si ratò id contingat: e. g. semel, aut iterum, non verò sæpè. Ratio est, quia si sæpè, nimis maceratur, atque extra modum corpus, quæ certe nimia maceratio non habet locum, si rarò contingat, præsertim in homine rustico, firmæque sanitatis.

De quarto, hoc est, de eo, qui habet panem, vinum, & multa levia obsonia, dico, me non audere illi dare facultatem non Jejunandi (quidquid nonnemo in contrarium sentiat, sic autem sentit Verricelli *de Missionib. tract. 4. quest. 94. §. 23. dub. 11.* citans Palqualigum, etiamsi solitus sit comedere) quia sufficiens haberi alimentum à multis cibis vilioribus potest, quod ab uno, vel altero meliore potuisset. Et sane, si etiam in civitate magna Jejunia communium personarum perscruteris, invenies totis hisce levibus obsoniis suas esse mensas instructas.

57. Quæres primò, Quid, si quis haberet solùm panem, & simul carnes, nec aliud illi suppeteret obsonium, ut si esset rure à civitate distante, haberet

tamen carnes ex venatu, poteritne carnes cum pane comedere, & sic Jejunium non observare?

58. Respondeo: Huic dubitationi sic respondet Pasqualigus *decif. 49. Arbitror*, ait, quod si etiam per unicum tantum diem caveret quis aliis cibis concessis, posset loco ipsorum vesci carnibus cum solo pane, quia lex prohibens carnes non intendit tantam macerationem, ad eoque admodum extraordinariam; quare lex Jejunij sic nimis esset onerosa, si solo pane contentus esse tunc quis deberet.

Eidem dubitationi Sanchez *libr. 5. conf. c. 1. dub. 19. num. 7.* sic respondet. Tandem nota multo majorem necessitatem requiri, ut fas sit in diebus prohibitis vesci carnibus; unde si nullus alius esset cibus, nisi panis, non liceret carnibus vesci, nisi per plures dies duraret inedia, ut in longa navigatione, vel atroci bello, ubi deest victus.

Denique eidem dubitationi Leander, *tract. 5. de Jejunio disp. 2. quest. 19.* cum præmississet, sententiam Pasqualigi, ut est ab iplo absolute prolata, esse nimis laxam. Respondet sic. *Vel persona cui dictus casus contingeret, est nimis delicata, assuetaque epulari splendide, ut sunt Magnates, & Principes; vel est persona robusta, & enutrita vilibus escis, ut sunt Pastores, & Rustici; si sis ex prioribus, potes amplecti sententiam Pasqualigi; si ex posterioribus, nequaquam quia prioribus nimis extraordinarium esset sic jejunare, etiam per unum diem, at posterioribus, utpote assuetis sapissime ad solum panem comedendum, non videtur esse licitum negli-*

gere tantum præceptum de abstinentia à carnibus in diebus vestis. Hæc Leander, cujus sententiam amplectendam puto, quam etiam sequitur Diana, *par. 10. tract. 14. ref. 59.*

Si quis non haberet, nisi panem, & aliquid lacticiij, simili modo discurrendum est de hoc, ac de eo, qui solum habet carnes cum pane, sed adhibenda illa monitio toties dicta, ut scilicet etiam servet Jejunium, quod stat cum lacticijs, non verò cum carnibus.

59. Quæres secundo: An hic teneatur dicta lacticia assumere, ut sic jejunet, an potius licite posset esse contentus suo solo pane, & multoties illum in die comedere, & Jejunium observare?

60. Respondeo cum Thom. Sanchez *lib. 2. conf. cap. 1. dub. 32.* qui sic docet. Licet probabile sit, non teneri; at probabilius est, teneri. Ratio est, quia hoc præceptum Jejunij est principale, & ita, si non potest aliter servari, nisi comedendo ova, tenetur, ut possit illud servare. Sicut ille, qui non potest jejunare, nisi anticipando tempus, & horam prandij consuetam tenetur jejunare, illam anticipando, ut supra dixi. Sic docti Juniores, Hætenus Sanchez.

61. Quæres tertio: Probabilissime judicanda est doctrina Laym. *lib. 3. tr. 8. cap. 3. num. 3.* & Tanneri, *tom. 3. disp. 3. quest. 3. num. 108.* quam etiam approbat Gobat, *de ebrietate cap. 23. num. 23.* qui excusant illos pauperes à peccato, qui die Cinerum assumunt reliquias carniū donatas à ditioribus, rationemque reddunt, quia in tanta copia

pia egenorum non est mens Ecclesie, ut ea carnes projiciantur carnibus.

62. Respondeo. Si egenus aliud non habeat, nisi solum panem, tolerari potest hæc sententia, sed juxta explanationes modò allatas: at secus, pace tantorum virorum, non est probabilis, nec tuta ejusmodi sententia. Siquidem deperditio illarum reliquiarum, quantacumque sit, non potest prævalere, ita ut negligantur duo præcepta tam gravia, id est, jejunandi, & abstinendi à carnibus.

63. Huc pertinet illa opinio Leandri, Henriquez, Sanchez aliorumque apud Pasqualigum, *decis.* 82. qui dicunt, posse pauperes mendicos comedere in Quadragesima lactinia: quamvis Bulla Cruciatæ careant, quando in locis, ubi est usus Bullæ, divites, qui comedunt lactinia, dant, lactiniorum reliquias prædictis ostiatim mendicantibus. Et prædicti quidem DD. reducunt id ad privilegium paupertatis, vel ad parvitatem materiæ. Ipse autem Pasqualigus reducit ad necessitatem, quia non habent aliud, quo sustententur.

64. Sed profectò tanta licentia non est concedenda; quia ubinam legitur hoc paupertatis privilegium? Si autem id reducas ad parvitatem materiæ, nihil novi dicis, quia hæc, si verè sit materiæ parvitas, conceditur sine mortali omnibus Fidelibus: Si denique confugis ad necessitatem, redit communis doctrina modò allata de eo, qui non habet nisi solum panem.

65. Quæres quartò. Qui habet, unde vivat, non verò unde restituar, vel

unde alat propriam familiam, potestne primò is, qui arte, vel officio laborioso caret voluntariè tamen laborare, & consequenter non jejunare, ut pretio ex opere laborioso conquisto solvat, quod debet, vel quo familiam sustentet? Potestne secundò, de victu sibi detrahere, & consequenter propter parvitatem sui victus non jejunare, ut nimirum sic pecuniam accumulans, suis creditoribus, ac familiæ satisfaciat?

66. Respondeo: Utrumque licitè posse; quia restitutio est obligatio justitiæ, & sustentatio familiæ est (juxta naturali) obligatio charitatis; quæ duæ obligationes prævalent præcepto Ecclesie Jejunii, quòd certè non est impositum ab Ecclesia cum tanto vigore.

66. Instas: Si potest, obligaturne? Respondeo, ad finem restituendi, puto, non obligari; poterit enim debitor sibi persuadere, creditorem nolle esse tam severum, ut obstringat debitorem ad conquistandam pecuniam medio tam extraordinario, quale est contra suam professionem serviliter laborare: ut etiam, universaliter loquendo, non obligaretur quis laborare propter dictum finem die festivo, in quo omnibus conceditur quies ad vacandum DEO. At vero ad finem sustentandi familiam sanè obligari, censeo; quando tanta necessitas premit, ut sine illo labore, etiam festivo, notabile damnum ejus familia pariat; tunc enim necessitas illam alendi urget patrem familias, maximè propter magnam obligationem charitatis, quam

erga

erga illam habet; quæ obligatio, cum sit de jure naturæ, prævalet obligationi ex præcepto Jejunii, quæ est de jure Ecclesiastico.

Ratio Conjugij.

68. Inquires septimò: Conjux eximiturne aliquando à Jejunio propter solâ rationem ipsam conjugij?

69. Respondeo sanè aliquando eximi; & primo quidem in eo casu, quo non posset alteri conjugij reddere debitum, si jejunaret. Ratio ejusmodi exemptionis est, quia Jus Justitiæ, quod habet conjux in corpus alterius conjugis prævalet præcepto Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore Jejunium; immò peccaret tunc conjux jejunando, quia faceret contra dictum Jus.

Liberatur secundo, si eadem uxor ita prohibeatur à viro jejunare, ut si jejunet, rixæ oriantur, & notabiles discordiæ; quamvis enim peccet tunc vitæ, si id sine sufficienti causa faciat, uxor tamen, si obediat, non delinquet, propter rationem numero præcedenti dictam. Aliqua minutiora de hac excusatione, ducta ex ratione conjugij, vide apud Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 3. n. 10.*

70. Eximitur terriò. Uxor Catholica, si prohibeatur à viro hæretico jejunare, idque non in contemptum Ecclesiæ, vel præcepti jejunandi, sed ob alias causas, puta, ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispendium eosdem emendi, vel quid simile. Ita Azor *1. p. lib. 7. c. 18. q. 7.* aliæque. Ratio est ferè eadem, ac modo dicta.

De Latina uxore Viri Græci.

71. Ex hac ultima doctrina resolvitur illa dubitatio, quæ infurgere solet de fœmina Latina, quæ sit uxor mariti Græci, suo ritu Græco viventis; an scilicet illa possit ex hac ratione conjugij cum Græco Jejunia indicta à Latino ritu negligere, ut etiam carnes comedere die Sabbati, cum Græci eas tunc comedant, licet ab eisdem abstineant die Mercurii?

72. Ad hanc dubitationem sic respondet Verricelli *de Missionibus rit. 3. q. 83.* Quando, inquit, sine gravi incommodo potest uxor Latina suum ritum servare, tunc non potest sequi ritum sui viri; ut patet ex constitutione Clem. VIII. & paulò post. Quando autem absque gravissimis molestiis, & jurgiis nequit uxor Latinum suum ritum servare, tunc poterit servare ritum Græcum. Debet autem esse molestia multùm gravis arbitrio prudentis. Ita responsum est à Theologis deputatis in Congregatione habita Romæ coram Eminentiss. Card. de Cremona die 7. Julii 1639. Probatur primò, quia lex Ecclesiastica non obligat cum gravi damno juxta communem Doctorum sententiam, nam lex humana debet esse moraliter possibilis, & humanæ fragilitati accommodata. Ita Major, Navarrus, Suarez, Layman, Feliaus. Probatur secundò, nam diversitas ritus præsertim servatur in observatione Jejunii, atque festorum, sed ab his præceptis excusatur uxor, contradicente viro, ac graviter indignante (semper intellige remoto contemp-

temptu, vel gravi scandalo.) Ita Abbas, Navarrus, Lessius, Sà, Suarez, Fagundez; & quoad auditionem Missæ docent Toletus, Azor, Fagundez, Haftenus Verricelli.

De Græco Latinè Jejunante.

73. **Q**uandoquidem autem facta, hic est mentio de Græcorum Jeuniis, non erit inutile inquirere, an Græcus, Græco ritu vivens, possit licite servare Jeunia Latinorum, & negligere sua.

Antequam respondeam, sunt recollenda aliquot dispositiones Clem. VIII. circa hoc argumentum; is enim *inconstit.* quæ incipit *SS. Dominus noster*, data die 3. Augusti 1599. quæ continet instructionem super aliquibus ritibus Græcorum pro Episcopis Latinis, in quorum Diocesiibus Græci, vel Albanenses, Græco ritu viventes, degunt; Is, inquam, postquam dixisset de totali ritu Græcorum (*Latina uxor non sequatur ritum mariti Græci*) sic habet circa finem de peculiari ritu Jejuniorum.

Tolerandus est apud Græcos usus carnis die sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, & inter eos sanctorum.

Item tolerandum est, ut ad Jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima (excepto uno Sabbato Sancto) ex antiqua traditione non teneatur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

Item in Jeuniis biduanis, vel triduanis, vel alias Diocesanis, vel in Jubilæis à Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus in alium diem pro plebi-

bus Græcis ab ipsis diocesanis Apostolica Auctoritate SS. Domini nostri Clementis VIII. permittitur commutari.

Item si ipsi Græci ad observantiam Jejuniorum, & Vigiliarum Latina Ecclesia induci possent, optimum esset; sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria sexta jejunent. Haftenus Pontifex.

74. Ex cujus ultimis verbis habetur jam responsum ad propositam numero præcedente questionem.

Sequitur enim ex his primò. Græcum Græco ritu viventem, posse licite sui ritus Jeunia negligere, & servare Jeunia Ecclesiæ Romanæ; non enim Pontifex aliquid rationabile exoptaret, si vellet, ejusmodi Græcos utriusque Ecclesiæ Jeunia servare.

Sequitur secundò. Loquutionem esse de omnibus Jeuniis, tum hebdomadariis quibuscumque, tum de annis, quia Pontifex optat, ut Græci, quoad Jeunia, sint omninò conformes cum Latinis.

Sequitur terriò. Id Græcum facere posse sine mutatione ritus quoad alias suas observationes. Paret sequela, quia si ita non esset, Pontifex nihil concederet Græco, ut Græco, sed solum vellent, ut Græcus mutaret suum ritum, & amplecteretur ritum Latinorum. Et iterum confirmatur dicta sequela, nam in prædictis verbis Pontificis apparet, ipsum loqui dumtaxat de observatione Jejuniorum, non verò de ritu quoad alia.

Confirmatur item, quia Pontifex vult, ut ipsi Græci suaviter inducantur ad Jeunia Latinorum observanda. Ipsi

Græci

Græci, inquit, quæ locutio arctat, sermonem esse de ipsis Græcis, dum sunt in ritu Græco.

Confirmatur denique, quia illud (non cogantur) manifestè ostendit, locutionem esse de Græco persistente in proprio ritu; nam si locutio esset de Græco transeunte ad ritum Latinum, sanè cogi tunc deberet ad latina jeiunia, non hortari dumtaxat.

75. Quæres, Ex hac voluntate Pontificis possumusne tunc colligere, aliquem Græcum posse primò, toto suæ vitæ tempore. Latinorum Jeiunia licitè amplecti, & Græcorum omninò negligere?

Secundò: possintne ejusmodi Græci, ita se gerere, ut per aliquod tempus, seu per aliquot annos Jeiunia Latina servet, sed postea ad Græca cum libertate redeat, & rursus ad Latina, vel vicissim Græca pro sua commoditate, & voluntate reverti?

Respondeo. Primum omninò licitè posse, id enim Summus Pontifex exoptat; sic enim ipse vellet, ut omnes Christiani eundem ritum observarent quoad Jeiunia, & utinam etiam quoad alias observationes, amplectentibus scilicet omnibus latinis ritibus.

Quoad secundum, quamvis animo propendeam ad affirmandum, etiam licitè posse; quia ex una parte id significare videtur Pontifex, dum ipsiusmet Græci voluntati se remittit; & ex alia parte sic suavius adducerentur alij omnes ad ritum latinum amplectendum, quod maximè Pontifex optare videretur; quamvis, inquam, ad id propendeam, me tamen juvat tantisper expectare.

donec doctiorum consensus ad idem accedat.

Post hæc scripta incidi in quæst. 80. prædicti Verricelli loco est. qui valde favet huic meæ propositioni, immò illam sequitur num. 3. quoad Græcos accedentes, vel habitantes inter Latinos ex ea ratione, quòd possint, se conformare ritibus, & legibus loci, sed præter consecrationem in fermentato, nam hanc illis Pius V. & Concil. Florentinum præcipit.

Dammum notabile.

76. Inquires octavo. Si ex Jejunio aliquod extrinsecum damnum mihi sequaturum sit, excusaborne, illud non observando? De extrinsecò damno hæc loquor, nam de damno intrinsecò, quod Jejunanti fortè contingeret in sua salute, dixi supra eodem hoc c. 10. n. 10. & seq.

Respondeo. Sanè quoties damnum aliquod rationabiliter times obventurum, Jejunii causâ, ad illud non obligaris, quia, ut toties dictum est, te cum tanto dispendio obligare non intendit Ecclesia, nec præcepta humana obligant cum tanto damno.

77. Hinc primò remiges in tritemibus infidelium non obligantur ad Jejunium, non solùm quando laborant per notabilem partem diei, vel quando non habent, unde plenam refectio-nem faciant, quæ sunt excusationes universales ductæ ex officio laborioso, & ex carentia victus, modo supra dicto; verùm etiam, quando à ministris tritemium timent grave damnum, excepto semper Religionis contemptu.

Hinc

Hinc secundò servi, & operarii conducti ad laborandum, possunt laboribus insistere, unde Jejunium non servent, quia ipsis laborandi negligentia pareret notabile damnum; sed de his, & eorum dominis dicemus mox c. 12. *de cooperantibus ad fractionem Jejunij.*

Hinc contra tertio, sola ratio hospitij non dat tibi veniam frangendi Jejunium, quia in hac potissimum aetate nostra tam culta facile hospes (nisi sit inhumanus, & barbarus) poterit sibi persuadere, Jejunium à te, non ex alio capite hospiti offensivo, sed solùm ex obligatione tibi imposita seruari; neque enim ex sola tua abstinentia offendi solet hospes, si humaniter cætera hospitis jura custodias.

78. Dices: Legimus, aliquos SS. Patres, ut hospites ex itinere pedestri defatigatos ad cibum allicerent, Jejunium, etiam obligans eos, fregisse.

Respondeo primò. Illos non fregisse Jejunium obligans ex præcepto Ecclesiæ, sed ex regula, non obligante, nisi ex consilio. Audi S. Benedictum in sua Regula 53. *Jejunium*, inquit: à Priore frangatur propter hospitem, nisi forte præcipuus sit dies Jejunij, cui non possit violari. Super quæ verba sic habet Caramuel tom. 1. *Theol. Regul. n. 1634. litt. F. Jejunia regularia*, inquit, *observare non tenentur, qui assistunt peregrinis; severe autem debent observari Ecclesiastica.* Hæc ille, loquens de Benedictinis Cisterciensibus, nam alij Religiosi consulant, ait, rigorem suæ Regulæ.

Respondeo secundò. Si tamen tu intendas, eos in illa occasione violasse

Jejunium indictum ab Ecclesia; tunc dico, illos alia ratione excusari non posse, nisi à bona fide, qua ex ignorantia inculpabili putabant, id licitè fieri posse.

79. Occasione bonæ fidei nota, multos non rarò excusari, quia sincerè procedentes putant, se non posse sustinere Jejunium sine notabili damno. Atque de his sic docet S. a, *Verbo Jejunium, n. 14. qui se putat, justam causam habere non jejunandi, non peccat mortaliter, non jejunando.* Hæc S. Immo nec peccare venialiter, si nulla prorsus fraude sic putat, certum sit.

80. Hinc quartò. Si quis existens vel transiens per loca infidelium (de his multa habet Verricelli *de Mission. fol. 77.*) rationabiliter timeat periculum vitæ, vel amissionis libertatis, vel alicuius gravis mali, si ibi servet Jejunium, potest illud negligere, immò & carnibus vesci. Adverte tamen, tunc non debere esse Religionis contemptum, ut in similibus casibus semper supponendum est.

De famulis, & ancillis Catholicis intervientibus hæreticis vide multa latè discussa à Gobat, *de ebrietate c. 33. à n. 92.* & certè tandem concludes, ob notabile damnum excusari, modo quo hæcenus dictum est, citra Religionis contemptum.

81. Dubitabis hic, an præcindo à dictis periculis, Catholici habitantes in terris hæreticorum teneantur jejunare in diebus, quibus præcipitur ab Ecclesia Jejunium; & certè eadem dubitatio procedere potest de aliis Ecclesiæ præceptis, e. gr. de audiendo sacro, &c.

82. Hanc

82. Hanc dubitandi rationem sic proponit Caramuel in *Theol. Fundam.* 19. q. 2. quando de facto major populi pars legem non servat, poterunt alii sine scrupulo, se majori parti conformare; & sic excusabuntur ab observatione talis legis; quia tunc supponitur, hujusmodi lex non esse utilis Reip. ut habet Diana p. 7. 17. 11. res. 23. & passim DD. Ergo Catholici, qui inter hæreticos agunt, non tenebuntur ad Jejunia præcepta ab Ecclesia, immò nec dies festivos servare; siquidem has leges in illis hæreticorum civitatibus major populi pars non observat. Sic Caramuel; dicit tamen, se hac in re dubitare.

83. Ad hanc dubitationem Diana volens suam doctrinam datam dicta res. 23. ab hoc inconvenienti liberare, si respondet p. 11. tract. 1. res. 5. Affero, inquit, doctrinam, quam docui, esse veram; Sed non rectè ex illa Caramuel suam illationem infert; nam lex Pontificia non pendet ab acceptance populi, per se, & absolute loquendo, ut alibi à nobis fusè probatum est; & licèt, hoc non obstante, præsumantur Principes laici, vel Ecclesiastici leges concedere, & promulgare sub tacita conditione, si à populo acceptentur, quia hoc videtur pertinere ad suave regimen populorum, & magis conforme benignitati Legislatorum, juxta illud Gratiani §. *Leges capis. 3. distinct. 4. Leges instituuntur, cum promulgantur; affirmantur, cum moribus mentium approbantur.* Et juxta illud, in lege de quibus, digestis, de legibus. *Leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi*
Tambur. de Præcept. Eccles.

quia indicio populi recepta sunt; tamen hæc opinio non est applicabilis casui nostro; nam est intelligenda de legibus, quæ in dies emanant à Pontificibus; at non de præceptis Ecclesie olim ab ipsa promulgatis, & à toto populo Christiano olim receptis. Hæc Diana.

84. Qui præsertim in hac posteriore doctrina non videtur plene satisfacere; nam hanc distinctionem negabit Caramuel; hoc enim ipsum debet probari, quòd nimirum ea doctrina intelligenda sit de legibus, quæ in dies emanant, & non de olim promulgatis toti populo Christiano; cum enim eadem sit ratio de utrisque, intelligenda est illa exceptio de acceptance majoris partis populi.

85. Alio igitur modo respondet Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 13. num. 8. Non videtur esse, ait, mens Ecclesie, aliquem obligare ad Jejunandum in loco, ubi Fideles alij non jejunant; nam valde expedit Ecclesie, ejus mores uniformiter à Fidelibus observari. Loquor autem solum de Ecclesijs, & diocesis Catholicorum; nam alia ratio est, si peregrinus Catholicus in terras hæreticorum veniat; huic enim arbitrator, Jejunia, & festa servanda esse juxta Ecclesie consuetudinem, si commode servare ita possit. Ratio est, quòd in contemptum Ecclesie Catholicæ cedere videatur, atque scandali occasionem præbeat, si peregrinus Catholicus, posthabito Ecclesie legitimo more, in observationibus Ecclesiasticis se conformet cum consuetudine ab hæreticis pertinaciter retenta. Hæc Layman, qui tamen videbitur alicui, non plene
Aaa etiam

etiam satisfacere; quid enim, si quis occultè, & sine scandalo non jejunet, festa non seruet &c.

86. Puto ergo sic respondendum. Verum est, quòd leges à Legislatoribus directè, & per se dantur populis, seu personis utentibus ratione: & quidem, esto etiam, quòd dentur cum illa exceptione, per quam benigna Legislatorum voluntas excuset, seu liberet subditos, quando major pars populi legem non servat. Ecclesia igitur dat sua præcepta omnibus Fidelium personis, & ita, ubicumque Fideles inveniuntur, sive inter Hæreticos, sive inter Turcas, vel alios Infideles, secum ferunt obligationem; non enim subduntur præceptis Ecclesiæ universalis ratione loci, sed ratione personarum, & ratione sui Catholici status, seu professionis. Sicuti Religiosus e.g. ex minimis S. Francisci de Paula; quia ratione status, cibis solùm Quadragesimalibus vesci licitè potest; ubicumque invenitur, id servare tenebitur. Jam verò illa exceptio (*si tamen major pars populi legem non servat*) intelligitur, si major pars populi Catholici, & subditi Ecclesiæ non servat; non verò, si non servat populus hæreticus, vel infidelis, immò & hostis Ecclesiæ Capitalis. Quando enim sive Gratianus, sive Imperator dixerunt, *legem moribus utentium approbari*, & quando *Judicio populi recepta fuerit*, intelligunt de moribus utentium ex suis populis sibi subiectis, & amicis, non verò ex hostibus, & non subditis, vel subditis rebellibus. Id quod manifestè patet ex ratione rationali. Unde tunc Legislator suos ab

observatione legis eximit. Ratio enim, ut modò innumus, & videri potest apud DD. citatos à Castropal. de *legibus disp. 1. quest. 13.* Ratio, inquam est, ut omnes sui subditi conformes sint in more vivendi, tanquam, ut ita dicam, filii plures ejusdem Patris familias; at quis unquam somnabit, Ecclesiam veile, ut sui Fideles conformentur in more vivendi cum hæreticis, subditis quidem, sed rebellibus, cum Turcis, cum infidelibus? Rectè igitur sic respondetur ad argumentum Caranuelis. Quidquid sit de ipsius antecedente allato *num. 82.* neganda est omninò consequentia propter manifestam disparitatem jam allatam.

CAPUT XI.

De Dispensatione non Jejunandi.

I. **D**ispensatio, quæ est alicujus juris relaxatio, aliquando est valida, & licita, aliquando est quidem valida, sed illicita. Valida, & licita est, quando datur ab habente potestatem, & adest causa sufficiens, eam dandi. Quòd si detur ab eo, qui potestatem quidem habet, sed detur sine causa, erit valida, sed illicita. Cùm enim dispensationis potestas sit potestas extendendi subditum ab aliqua lege, quo pacto dicitur à Canonistis lex vulnerandi; requiritur, ut adsit causa illam vulnerandi; ne scilicet sine causa legibus, & consequenter bonæ ordinationi Reipub. præjudicetur.

2. Quoniam verò dispensatio aliquando est circa leges latas ab ipso di-

spen-

spensante; qualis est data à Summo Pontifice circa Jejunia universalis Ecclesie, & qualis est data ab Episcopis circa Jejunia ab ipsis in suis diocæbus imposta, idè tunc, si non adsit causa dispensandi, erit valida dispensatio, sed illicita. At si sit circa leges latis à superiore, ut esset dispensatio ejusdem jejunii universalis data ab Episcopo, esset & illicita, & invalida; quia, cum ejusmodi dispensandi potestas non conferatur Episcopis, nisi sub conditione justa causæ, hac deficiente, cessat potestas, & consequenter validitas dispensationis. Quando autem Episcopis, seu inferioribus datur ejusmodi potestas dispensandi in legibus latis à Summo Pontifice, vel ab illorum superiore, latè tractatur in tract. de legibus. Satis vobis erit legere Castrop. tom. 1. tract. 1. de dispens. legis, & DD. ibi citatos.

3. Et quidem causa justa duplex est, altera ex parte Summi Pontificis, vel Superioris, altera ex parte ejus, qui dispensationem à Superiore postulat. Ex parte hujus postulantis causa debet esse excusans, seu aliquo tandem modo impeditiva observationis legis. Ex parte Pontificis, vel Superioris in suis legibus non est improbabile, sufficientem esse quamcumque causam, etiam si ea non sit impeditiva observationis legis. Quare sufficit, si Pontifex Summus e.g. ab aliqua sibi benè visa ratione moveatur; ita ut solum, quia vult, se benignum alicui benemerito ostendere, sufficiat aliquando ad dispensandum. Hujus rei ratio est, quia similes dispensationes concessæ pro personis particularibus non lædunt bonum commune,

nec sunt in alicujus præjudicium, nec bonum ordinem Reip. turbant; convenit enim aliquando, Principem se benignè exhibere circa subditos. Cùm ergo hæc dispensationes sint circa leges humanas ab ipso Pontifice, seu Superiore dependentes, non est, unde tunc committatur ne levis quidem culpa. Proportionali modo esse discurrendum de dispensationibus concessis ab Episcopis circa leges solo jure diocæsano latis (non autem universali) paritas rationis ostendit. Atque ex his fit, peti posse dispensationem ex nulla causa à Summo Pontifice, & ab Episcopis in eorum proprio jure sine ulla culpa. Legite Sanchez l. 8. de matrim. disp. 18. num. 9.

Quis dispensare potest in Jejunijs?

4. **H**is summarim expositis, inquire res primò quisnam potest dispensare in Jejunijs Ecclesiasticis?

5. Respondeo, quòd possit Summus Pontifex, nimis esse manifestum. Si verò loquamur de Prælati Papa inferioribus, qui sunt Episcopi, ut item Prælati Regularium, quales sunt Rectores, Præpositi, Priores, Guardiani, & similes, quando habent totale regimen Monasterii, seu Conventus; & item quidam Abbates gaudentes Episcoporum jurisdictione; dico, eos non solum posse dispensare suos subditos in Jejunijs proprii juris, ut modò dictum est, verùm etiam, posse aliquando cum suis subditis dispensare in Jejunijs lege universali institutis. Ratio est, quia Prælatus inferior potest dispensare in lege

lege Superioris, quando non est recursus ad Superiorem, casusque dispensandi est frequens, qualis certè est hic de Jeunio. Intellige semper, dummodò pro dispensatione in his legibus universalibus existat causa, se tenens ex parte subditi, ut mox à num. 9. latius explicabimus. Et ratio, cur in dispensatione legis Superioris facta ab inferiore, requiratur causa, est, quia id solum conceditur, ut subditorum necessitatibus subveniatur. Si ergo nulla est necessitas, nulla erit potestas in inferiore circa legem superiorum.

6. Inter hos potentes dispensare dicto modo in Jeuniis universalibus connumerat Parochum, etiam præsentem Episcopo. Et ratio, præter præscriptam consuetudinem, est, quia secus nimis gravarentur Fideles, immò & Episcopi, si ii essent pro ejusmodi minutis frequentibus dispensationibus semper adeundi.

7. Præterea quilibet ex dictis, immò & ex Delegatis ab ipsis (cum enim hæc sit potestas ordinaria, possunt illam prædicti aliis delegare) eo modo, quo cum subditis suis dispensare potest, poterit etiam secum ipso immediate, vel mediate dispensare committendo scilicet suo Confessario, ut dispenset. Hujus rei ratio est, quia non debet, esse pejoris conditionis ipse Superior, quàm sint sui subditi; & ex alia parte potestas hæc dispensandi in Jeuniis non est ipsis limitata ad alios tantum.

Dices. Nemo est bonus Judex in causa propria: quare, quando quis potest dispensare in lege Superioris, non debet censeri ipsi concessum, quod etiam

possit dispensare seipsum. Et ratio illa videtur esse, quòd qui debet dispensare, oportet recognoscere causam, ob quam dispensatio sit concedenda; atqui ipsemet Superior, si recognoscere potest eam causam, esset sui ipsius Judex; ergo, &c.

Respondeo. Neminem posse esse Judicem in causa propria, nec propriam posse causam recognoscere, quando proceditur judiciali modo; tunc enim, cum sit administranda justitia, requiritur distinctio personarum; non verò quando proceditur modo directivo; siquidem quisque potest se ipsum dirigere, ut accidit in casu nostro.

8. Contra verò, Confessarius, Medicus, vel quilibet vir prudens, ut etiam Abbatisa dispensare in Jeuniis non valent, & solum poterunt, quatenus sunt periti declarare, causam adesse ad non jeunandum. Ratio est, quia ad dispensandum requiritur jurisdictio spiritualis, quæ hi carent; ad declarandum verò sufficit peritia. De his lege Joann. Sanchez *disp. 54. num. 36.* Thom. Sanch. *ib. 8. de Matrim. disp. 9. num. 27. & in conf. l. 5. cap. 1. dub. 1. num. 27.*

Quæres. Si quis Medicus irrationaliter concederet alicui potestatem comedendi carnes, quot peccata committeret?

Respondeo. Duplex, specialiter in confessione explicandum. Ratio est, quia facit contra duplex præceptum, nempe contra præceptum abstinendi à carnibus, & contra præceptum jejunandi ex diversis moraliter motivis. Nec obstat, quòd hæc peccet solum contra

tratemperantiam; non obstat, inquam, quia sunt diversi modi temperantiae, ac diversae mensurae, atque adeo diversa erunt peccata contra illas, sicuti fornicatio, & pollutio voluntaria sunt contra virtutem castitatis; sed tamen sunt diversa peccata, specialiter Confessario manifestanda. Ita Sanchez *lib. 4. in Decal. c. ii. n. 13.* & Leander *in Præcept. Eccl. lib. 5. disp. 9. q. 26.*

10. Dices: Sed cur non ponitur, esse duplex specie peccatum, superflue comedere carnes, & superflue comedere pisces, utrumque extra Jejunium; ut item superfluum comedere, & superfluum bibere?

Respondeo. Quia in morali aestimatione hæc non apparent simpliciter diversa; nam non apparent satis diversa (supposito præsertim duplici diverso præcepto) non abstinere à carnibus, & non abstinere à pluribus legalium ciborum refectibus; & nisi id dicamus, difficile est, afferre idoneam disparitatem, quam nos Theologis speculativis examinandam relinquimus.

Quæ causa requiratur, & sit sufficiens ad dispensandum?

11. **I**nquires secundò. Quænam sit causa excusans, se tenens ex parte subditi in hac materia Jejunii ad hunc effectum, ut illi valide, & licite concedatur dispensatio sive comedendi carnes, sive non jejunandi.

Respondeo. Satis esse unam ex illis causis excusantibus, hætenus explicatis in cap. 10. licet non sit opus, ut totaliter, sed aliquo tamen modo exequent. Ita Sanchez *in consil. loco cit.*

dub. 6. Breviter, satis erit ex eodem, si dubium sit, an dicta causa sufficiat ad excusandum absolute subditum à Jejunio, vel an sufficiat superiori pro expedienda dispensatione, an verò non sufficiat? Ratio hujus dicti est, quia si causa est magna, & gravis, non indigemus dispensatione; si nulla, non potest (juxta prædicta) licite dari. Ergo, ut aliquid operari possit potestas dispensandi, satis erit, si causa non sit adeo gravis, vel si causa sit dubia, semper autem, quæ sit ex parte petentis dispensationem, ut n. 3. insinuavimus.

12. Quando Superiores advertunt, causam esse minus sufficientem ad absolutam dispensationem, misceant aliquam commutationem, putationem, eleemosynam, &c.

Majorem causam requiri in dispensatione ad carnes comedendas, quam ad frangendum Jejunium cum legalibus cibis, innuimus supra. Nunc verò in proprio loco confirmamus, quia rigorosius est præceptum de abstinencia carniæ, quam de mero Jejunio.

13. *Quid de lacticiis?* Respondeo, majorem requiri causam ad dispensandum Jejunium, quam ad edenda lacticia; quia cum lacticiis stare Jejunium potest; atque adeo minus dispensatur in iis solum manducandis, quam in violando Jejunio.

Dispensatio Jejuniorum pro toto Populo.

14. **C**um hætenus dictum sit de dispensatione Jejunii, quæ concedi homini in particulari solet; inquires secundò, quid de tota civitate, vel

vel tota Diœcesi? hoc est, potestne Episcopus dispensare ob justam utique, & proportionatam causam semper, ut dictum est, tenentem ex parte dispensatorum, ne in Quadragesima e. g. totus populus obligetur ad Jejunium.

15. Respondeo affirmativè, saltem quando non est facilis recursus ad Pontificem, & causa est gravis, ut tempore pestis fuit Panormi; tunc enim Archiepiscopus ex consilio Theologorum, & Medicorum, per Edictum publicum dispensavit, ut in Quadragesima illius anni possent comedi carnes; & certè idem posset contingere tempore periculosi belli, & strictæ obsidionis alicujus civitatis, præsertim pro iis, qui actu præliantur, & similibus. *Leg. Dianam p. 10. tr. 4. ref. 3.* ubi de hoc re fusè tractat, & affert Venerum concedentem, & Nazariæ ferè negantem. *Leg. item in simili Caramuelem. tom. 1. Theolog. Regularium à num. 2056.*

Translatio Jejunij.

16. **I**nquires terriò, Quid de translatione? Respondeo. Episcopus etiam transferre potest Jejunium indictam ab Ecclesia, & multò magis impositum ab Episcopo, seu suo antecessore de uno die in alium; si, id vel populi necessitas, vel solemnitas festi postulat; ut certè factum est ab Archiepiscopo (non enim constat, ut aliqui putant, factum esse cum consensu, & expressa licentia Summi Pontificis) Panormi, ubi Jejunium vigiliæ S. Jacobi translatum est in diem præcedentem, quia in illa vigilia incidit fe-

stum S. Christianæ Patronæ Principalis Civitatis. Quare idem posset dispensare Episcopus, quando vigilia Sancti Matthiæ incideret in feriam secundam, vel tertiam Bacchanalium, & Episcopus adverteret, homines suæ Diœcesis esse proclives ad frangendum ejusmodi Jejunium. Ita *Laym. lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 9.* quem sequitur *Diana p. 3. tr. 6. ref. 66.* Ratio autem est, quia ad Episcopum pertinet, adhibere remedia, ne suæ oves facilè peccent ex Trident. *sess. 21. c. 1. de reformatione.* hæc enim est justissima ratio ejusmodi translationis. Sicuti per totum orbem fuit iusta causa, cur Urbanus VIII, transfulerit in diem antecedentem Jejunium vigiliæ S. Joannis Baptistæ, quando hoc incidit in diem festum SS. Corporis Christi, ut diximus *sup. c. 9.*

17. Docet præterea *Quintan. 2. 2. singul. tract. 9. singul. 19.* in casu hujus translationis Jejunij debere etiam transferri officium in diem antecedentem, id est, in diem, qui præcedit festum Corporis Christi, quia connexorum eadem est ratio. Parique modo addit *sing. 20.* transferrendum esse officium, si quando simili modo transferatur Vigilia S. Matthiæ. Sed notat, si dies, in quem transfertur Jejunium, sit occupatus festo duplici, aut semiduplici, non esse transferendum officium talis festi.

18. Quid in confirmationem dictorum afferat Gobat in *Alphabeto sacri audiendi à num. 111.* non erit inutile hic subscribere, quamvis non pauca modo docuerimus.

Is ergo proponit duas quæstiones circa dictam Vigiliam S. Matthiæ. Alteram, an quando festum dicti Apostoli occurrit ipso die Cinerum, possit vigilia, Jejuniumque antecedens transferri in alium diem, & quem? Alteram, an quando dicta vigilia incidit in diem lunæ, possit item in alterum diem transferri, & quem? Respondet autem, in hunc ferè modum.

19. Ad primam dico in primis, in hujus Germaniæ Episcopatus Anno 1621. & Anno 1632. quando festum S. Matthiæ incidit in feriam quartam Cinerum nonnulli Episcopi nihil planè mutaverunt (adverte in nostra diocesi Panormitana nihil fuisse mutatum.) Alii, illique plures transtulerunt jejunium ante Quinquagesimam, Alii festum transtulerunt in feriam quintam post Cineres, & consequenter vigilia Jejunium penetrarunt cum Jejunio Cinerum.

20. Dico deinde, mihi placet iudicium cujusdam Doctoris Theologi Pragensis, qui litteris ad me datis, approbavit translationem dictæ vigiliæ in diem Cinerum juxta id, quod fecerunt prædicti ultimi Episcopi; sicut enim festum quoad officium transfertur in feriam quintam sic vigilia in diem antecedentem rectè transferretur.

21. Dico præterea. Si alicubi sit facta ejusmodi translatio, est servanda, quia supponendum, in ea diocesi esse periculum, ne maior pars peccet, non servando Jejunium. Caterùm ubi facta non est, concedenda non erit, quia plerùmque discordiam pariunt novitates *cap. Cum inter de consuetudine*; &

quia non semper aderit periculum prædictum apud majorem partem populi, nam de paucis non est habenda ratio.

22. Dices. Non est præsumendum Summum Pontificem habere tantam rationem dierum Bacchanalium, in quibus nimia vivendi licentia grassatur, ut velit propter illos approbare prædictam vigiliarum mutationem. Ita argumentatur Raynaudus in *Hierarch. Spirit. lib. 1. sect. 3. punct. 1. num. 35.* qui negat hujusmodi potestatem Episcopis. Sed facile responderi huic rationi potest; non enim præsumimus, ipsum approbare ejusmodi mutationem, ut vivendi illam turpem licentiam approbet, sed ut amoveatur periculum peccatorum, id est, violandi vigiliæ. Quæ sicuti pertinet ad Summum Pontificem toti Ecclesiæ providere, ubi tale periculum appareret, ita ad Episcopum, si in suo Episcopatu illud periculum esse adverteret.

23. Ad secundam quæstionem; quando scilicet vigilia S. Matthiæ incidit in diem lunæ Bacchanalium, dico; ubi apparet dictum periculum, posse vigiliam quoad Jejunium transferri in Sabbatum præcedens; sic enim Urban. VIII. declaravit, quando vigilia S. Joa. Baptistæ occurrit in festo Corpor. Christi, eam esse anticipandam. Similiter si Ratisbonenses vigiliam omnium Sanctorum non celebrant ultimo die Octobris utpotè, qui est sacer S. V. Volfgango, Patrono diocæsano, sed die antecedenti; cur periculum longè plurimorum peccatorum mortalium, partim ex malitia, partim ex infirmitate committendorum,

dorum, non præbeat Episcopo in casu nostro justam causam faciendi illam anticipationem, sicuti fecerunt prædicti Episcopi n. 19. relati?

CAPUT XII.

De Cooperantibus cum non Jejunantibus.

1. Non est dubium, peccari mortaliter ab eo, qui ministrat cibos vetitos Fideli ad finem, ut hic in die Jejunii non jejunet. Id enim clarè est intendere directè rem mortaliter peccaminosam; sed dubium est, quando ejusmodi ministratio ex tali intentione non fiat.

De Patre, & Domino.

2. Inquires ergo primò, an Pater, & Dominus possint filiis, & familiaribus concedere cibos, si animadvertant filios, & servos non jejunaturos in die Jejunii?

Respondeo, Duobus modis hos se habere posse in hac re. Primò, compellendo filios, & servos, ut jejunent, & propterea illis negando cibos. Secundò, admonendo, modestèque increpando, ut jejunent. Ad hoc posterius obligantur Patres, & Domini, quia hi debent curam gerere suorum juxta illud ad Timoth. c. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior.* Ita Azor. part. 1. lib. 7. cap. 20. quest. 12. aliisque. Ad illud prius nequaquam (ut iidem docent) obligantur, quia ipsi non sunt Prælati,

ad quos magis pertinet cura spiritualis suorum ovium.

3. Ideo Domini, & Patres obligantur ministrare suis cibos, quamvis advertant, eos Jeunia debita non observaturos, quia ex una parte est res indifferens ejusmodi ministratio, & ex altera ipsi excusantur ex proprio officio, lendi cum debita liberalitate familiaribus, modò, ut dictum est, pro sua auctoritate moneant, increpantque non observantes.

4. Quæres, Possuntne Domini licitè imperare laboriosas actiones in die Jejunii servis filiisve, immò & operariis, quibus consequenter fiet, ut hic Jejunii lege liberentur?

5. Respondeo, Si bona fide Domini procedant, imperando labores, qui communiter imperati solent, etiam si differri valeant, non peccabunt; ut tenet Bonacina tom. 2. disp. ult. de præcept. Eccl. q. 1. p. ult. n. 9. & Sanchez in consilio lib. 5. c. 1. dub. 9. n. 2. quia utuntur jure tuo, præcipiendo, quæ possunt, & consueta sunt præcipi; servi autem non peccabunt, quia ex officio laborant, ut supra dictum est; immò propter eandem rationem poterit quis, ut docet Excobart. 1. cap. 13. de Jejunio n. 3. operarios condocere cum pacto, ut non jejunent, nec aliàs propter cibi defectum minus laborent.

6. Ne tamen hinc colligas, posse Dominum imperare servis, ut laborent in die festo, quando nulla urget necessitas, nec adest dispensatio, quia tunc laborare in die festo est peccatum; ut laborare in die Jejunii non festivo, peccatum

catum non est, esto, inde sequatur, non seruari à seruo laborante Jejunium : quare ibi immediatè imperaretur à Domino actio peccaminosa, non hinc ; & quamvis sequatur inde non observatio Jejunii, excusetur Dominus ex jure suo, & servi ex suo officio, ut dictum est.

7. Denique notandum est, prædictum Patrem familias non posse licitè in die Jejunii parare, vel ministrare carnes, multò minus ad illas comedendas, subditos suos invitare, quia tunc, ut supponimus, peccarent subditi, & invitati comedendo carnes ; & ex alia parte sola ratio alendi familiam, vel quid simile, non est proportionata causa ad cooperandum cum illis quoad manducandas carnes, quæ cum tanto rigore universalis vetat Ecclesia.

De filiis, servis, amicis,

8. Inquires secundò : Quid de Filiis, Servis, & Amicis in ordine ad Parentes, ad Dominos, & ad Coamicos ?

Respondeo : Quoad priores, hoc est, famulos, filiosque, similesque subditos ; dico, posse eos, Patribus, vel Dominis frangentibus Jejunium scienter, cibos parare, ac administrare. Ita Azot, part. 1. l. 7. cap. 31. quæst. 11. quia hæc ex una parte sunt opera ex se indifferentia ; & ex alia filiationis, & famulatus ratio ipsos satis excusat. Nota, quòd sola hæc ratio non sufficit pro carnibus, quando est certum, quòd Pater, & Dominus mortaliter peccant, eas comedendo ; nam, ut excusetur in hoc, major causa requiritur, hoc est,

Tambur. de Præcept. Eccles.

notabile damnum periculi gravis, quod prudenter timerent incurrere, si illas non ministrarent.

9. Quoad posteriores, id est, quoad Amicos ; dico casum, de quo dubitari potest, in hunc ferè modum figurari. Titius homo prædives expectat hoc sero vespere diei Quadragesimæ Cajum suum per familiarem cum suo frequenti comitatu ; quare parat liberalem cœnam ; dubitat tamen vehementer, multos ex comitatu manè comedisse, atque timeret, ne serò iterum comedendo, frangant Jejunium ; potestne licitè cœnam præparare, & offerre ?

Ad id dico quatuor. Dico primò cœnam exhibere directà intentione, ut hospites cum violatione Jejunii cœnent, Titium licitè nequaquam posse, quia id esset, velle, eos hinc, & nunc peccare.

Dico secundò posse licitè (cum cautione mox dicenda in dico 3.) præparare cibos, non animo, ut hospites, & amici oblata acceptent, & completè cœnent ; sed animo, ut signa suæ amicitia, liberalitatis appareant ; nullo tamen modo potest cogere ; nam hæc oblatio apparet merum urbanitatis signum esse, & invitatio ad legitimum jentaculum, quæ est actio ex se indifferens, & ipse excusatur à ratione officii suæ amicitia ; coactio verò ad plenè cœnandum urgeret amicos ad actionem pravam, hoc est, ad violandum præceptum Ecclesie.

Dico tertio. Quoniam verò res hæc est plena periculi peccandi ; ideò Titius, si nec inurbanitatem sibi exprobendam, nec aliud malum timeat, obligatur

Bbb

ligatur

ligatur ex charitate ostendere, se ex parte sua præparasse quidem cibos, atque offerre; cæterum quisque propriæ conscientiæ consulat in hunc ferè modum dicens: Domini mei, ego officio meo intersio, quilibet autem, quid sibi liceat, consideret.

Dico quartò carnes nullo posse modo à Titio præparari, vel offerri; quia nec ratio amicitæ, nec ratio hospitis causa sufficiens est ad offerendas, vel præparandas illo die vitæ carnes: Læcivinia autem hæc, ubi est communis usus Bullæ Cruciatæ, posset præparare, & offerre, cum simili cautione, quam modò diximus; ut scilicet quisque sumat illud, quod sibi licitum erit.

De Cauponibus, & vendentibus cibos.

10. **I**nquires tertio; Quomodo se Igerere debeant caupones, & vendentes cibos tempore Jejunii cum eumentibus non jejunaturis.

Respondeo, ut huic quæstioni faciam satis, plures, varioque casus esse distinguendos.

Primò. Certum sit, quando probabiliter caupo, vel vendens cibos Quadragesimales judicat, eumentes non violaturos esse Jejunium posse licitè iis ministrare, parare, immò eisdem invitare ad emendum, quia sic non cooperatur ad ullum peccatum.

11. Secundò. Quid, si dictus caupo, vel vendens cibos Quadragesimales solùm dubitet, an Jejunium ii violaturi sint, comedendo pluries dictos Quadragesimales cibos?

Respondeo, posse etiam licitè, quia nemo præsumendus est malus, nisi contrarium constet; quare tunc non debet caupo, vel vendens putare, illos peccare velle, & consequenter licitè ministrare poterit, & vendere.

12. Tertio. Quid, si dictus vendens cibos Quadragesimales probabiliter, vel certò sciat, eumentes Jejunium violaturos?

Respondeo cum Sanchez *lib. 5. conf. cap. 1. dub. 6.* cum Diana *p. 1. tract. 4. resolut. 38.* etiam tunc satis probabiliter posse licitè. Ratio hujus concessionis illa est, quia scilicet ea ministratio, immò ultronea invitatio non fit à caupone, vel venditore directè sollicitando ad non Jejunandum, atque aded non fit ad alliciendum ad peccatum, sed ad lucrum expiscandum; idque sciunt, peccabèque noscunt eumentes, & ex alia parte illa subministrandi, atque invitandi actio opus est ex se indifferens, cum possint illi cibi emi ad licitum usum.

13. Dices. Ejusmodi emptio conjungitur cum peccato transgressionis præcepti Jejunii, ergo conjungitur cum peccato; transgressio enim illa peccatum est. Respondeo, coniungi quidem, sed ex malicia eumentium, non venditores excusantur propter ipsorum officium, quod ipsi sine fraude exercent, dum legales cibos, de quibus nos loquimur, vendunt.

14. Eisdem caupones posse, nolle recipere eos apud suum hospitium, qui vespere cœnaturi non sunt per plenam refectioem modò ex circumstantiis illud nolle non æquivalat coactio-

hi probabilis est sententia; tunc enim non compellunt ad plenam cœnam, sed utuntur jure suo, quo hospites allieiant ad divertendum in ipsorum hospitia. Cujus rei conjectura est, quia ii possent, si vellent, solum plenè de vespere cœnare, non præmittendo plenum, seu perfectum prandium, & sic possent prædicti hospites Jejunium nequaquam violare. Quapropter sensus prædictorum cauponum est ferè hujusmodi: si tu velis apud me divertere, manè à cibo plenè refectiois abstineas, cœnaturus postea apud me vespere. Si autem id tibi non placeat, de alio hospitio tibi consule.

15. Quartò. Cum dictum sit de vendentibus cibos legales, emergit dubitatio duplex. Prima, quid sentiendum sit de caupone vendente, ac ministrante lacticia in diebus vetitis? Secunda, quid de vendente, ac ministrante iisdem diebus carnes?

Respondeo: Hic ubi promulgatur Bulla Cruciatæ (quantum pertinet ad primam dubitationem propositam) idem esse sentiendum, quod diximus hæcenus de venditionibus, & ministrantibus cibos Quadragesimales. Ratio est, quia sensus offerentis semper, ubi ea promulgatur, intelligitur conditionatus, ut scilicet ea lacticia quis comedat, si licitè potest. Quid, si certò sciatur, accumbens eatere Bulla, & tamen sine necessitate, seu sine justa causa ea sit manducaturus? Respondeo Thomas Sanchez lib. 5. consil. cap. 1. dub. 16. num. 3. docet, non posse licitè, quando est dubium, an accumbens fruatur privilegio Bullæ Cruciatæ, quia

possessio stat pro præcepto, & excusatio est dubia, ut supponimus.

Hinc ergo sequitur, multò minùs licitè posse, quando est certum, quòd Bullam, vel simile privilegium, vel necessitatem non habeat. Sed profectò, si sit dubium, potest, quia in dubio nemo est judicandus immemor esse suæ salutis. Recole ea, quæ diximus cap. 10. num. 21. At si sit certum, quòd non habeat, non poterit, nisi justa, ac proportionata causa urgeat, qualis non est ipsum officium cauponis, ut erat num. 12. sufficiens causa pro vendendis cibis legalibus; quia tunc sine causa excusante esses offendiculo ipsi proximo ad illud peccatum, quod faciliè removeri posset, quando causa nulla ad ea ministranda te cogit; causa enim nulla judicatur esse illa, quæ sufficiens non est.

Dixi (ubi promulgatur Bulla Cruciatæ) nam ubi ea non promulgatur, idem ferè sentiendum est, quòd mox dicemus de carnibus.

16. Quintò. Quid de vendenti: bus carnes dicto tempore Jejunii, deque cauponibus eas parantibus, vel ministrantibus? Idemque quæritur de lacticiis in iis regionibus, ubi Bulla Cruciatæ nequaquam promulgatur.

17. Respondeo asserendo ea, quæ habet de hoc argumento Loth tract. 19. q. 1. art. 8. In locis Catholicis, ait, grave peccatum est. caupones apponere carnes in mensa hospitum suorum in die Jejunii, & graviter puniretur. si quis indifferenter id faceret, quia id censetur quadam tacita confessio hæresis, cum

heretici valde calumniantur præceptum S. Ecclesie de abstinentia à carnibus.

Dixi (indifferenter) nam conceditur in aliquo casu particulari ratione evidentis necessitatis, provenientis ex infirmitate, vel si nihil aliud suppeteret, vel si aliquis ex hospitibus, qui videretur fide dignus, diceret, id sibi à superioribus indultum. Hactenus Loth.

18. Videntes tamen (licet non parando, nec ministrando, nec invitando) lactinia, ut etiam carnes in diebus vetitis, ubi pro lactiniis non promulgatur Bulla in locis Catholicorum, tunc ego excusarem, quando non indifferentem pro omnibus, sed infirmis, & ægotantibus venderent; nam caterum in locis Catholicorum non videtur esse sufficiens causa ipsum officium vendendi res comestibiles; solum enim hoc officium concedit, posse vendere Quadragesimalia, non autem lactinia, vel carnes, ut dictum est num. 12. Sanè in nostra Diocesi nemo vendere publicè potest carnes in diebus vetitis, nisi cum licentia Archiepiscopi vel Vicarii. Sed redeo ad Loth, qui sic pergit: *In locis verò hereticorum, ubi passim solent ab aliis apponi, id licitum esset cauponi Catholico, posita duabus conditionibus (præciso semper contemptu Religionis.) Prima, si non possit recusare sine notabili suo incommodo, ut si alioquin ab hospitibus esset deferendus ad Magistratum, quia ad per se malum non est, sed quid indifferens, ergo supposita legitima, & proportionata causa id fieri potest sine peccato: qua ratione excusantur ancille Dominorum Hereticorum, qua diebus Jejuniorum*

coquunt carnes, & cenam parant, quia id sine notabili suo incommodo deservire non possunt: nam si possent, deberent certo, illos Dominos deserere, & aliam Catholicam invenire. Secunda, si caupo dictus non apponat carnes, nisi tantum, non enim ingeri possunt non vegetibus, quia hoc esset ad illicita invitare, nisi forte apponat simul carnes, & pisces, relicta enim potestate eligendi, ut faciunt plerique Catholici inter Hereticos, Hactenus Loth.

CAPUT ULT.

VARIA DE JEJUNIO.

Nonnulla, quæ in superioribus locum, vel non habuerunt, vel inter scribendum exciderunt, hinc asluere, ad hujus tractationis absolutum complementum, non gravabor.

De Jejunio in Pane, & Aqua.

1. Inquires primò, Qui vovit jejunare in pane, & aqua; vel cui impositum est pro pœnitentia suorum peccatorum simile Jejunium à Confessione, quantum vini bibendo mortaliter peccabit?

2. Respondeo. Hac in re videtur Castropalaus, nimis laxè esse loquutus tom. 3. tract. 15. dub. 12. num. 27. dum docet, votum abstinendi à vino obligare

re sub gravi culpa in ea quantitate, qua vino temperatè utentibus sufficeret pro una comestione; quasi abstinere à minore, non obligetur graviter, quia hæc, ait, censenda parvitas materiæ, quæ non parit obligationem mortalem, sed tantummodò venialem. In hoc argumento de Jejunio, quia, ut supra vidimus, obligatio de jeiunando non est tanti rigoris, nimis, inquam, laxè; Si quis enim quater bibat vinum, aquâ de more regionis dilutum in prandio, temperatè bibet, ergo sequitur ex placito Castrop. quòd is, cui non liceret vinum propter votum, vel pœnitenti- am bibere, posset sine gravi culpa illud bibere bis, vel ter. Id certè mihi improbabile videtur. Ego igitur semel, modo, seu more dicto, bibere, non putarem grave, sed pluries, puto esse omninò grave, atque aded esse peccatum mortale ei, qui tale votum emisit, vel cui talis pœnitentia legitimè fuit imposta. Neque id durum alicui videatur; nam idem Castrop. (nescio, an sibi cohærens) dixerat *ibid.* n. 19. seu supposuerat, semel bibendo vinum, frangi Jejunium promissum in solo pane, & sola aqua.

Non potens jejunare in pane, & aqua, ad quid teneatur?

3. **I**nquires secundò. Si ille, qui in pane, & aqua jejunare vovit, non potest propter aliquam gravem causam ex illis, quas supra latè declaravimus, sic jejunare, obligabitur ne jejunare, cum piscibus, aliisque cibis legalibus, addito vini potu sibi necessario?

4. **R**espondeo. Obligabitur: immò si nec cum his, vel similibus Quadragesimalibus obsoniis potest, obligabitur cum lacticiis Jejunium servare. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, non verò contra, ut est commune pronunciatum in utroque jure. Cùm igitur ex mente communiter voventium, vel Confessariorum pœnitentiam hanc imponatur (nisi aliud expressè intendatur à vovente, vel explicetur ab imponente) promittatur, vel imponatur principaliter Jejunium, si illud servari aliquo mdo potest, omninò debet.

5. **P**ropter eandem rationem, si cum voveris Jejunium in pane, & aqua, tu tamen hora consueta alios cibos quadragesimales (certè cum de cato, quia sic tuum votum non servasti) adhibueris, adhuc teneris ad Jejunium, quia jam remanet substantia Jejunii, quæ sic servari à te potest.

6. **Q**uòd si jejunare nullo modo poteris, tunc profectò non te obligo ad abstinendum à prædictis cibis, sive legalibus, sive lacticiis, immò nec à carnibus, si ejusmodi Jejunium debeat fieri in diebus non vetitis. Id quod docet Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 2. n. 3.* Et ratio est, quia abstinencia ab illis accessoria ad Jejunium erat: quare excusatus à principali, non obligaberis ad accessorium.

7. **D**ixi autem (nisi aliud expressè intendatur, vel explicetur) nam si in tuo voto intendas, te velle jejunare, præcisè sub hac forma (sine vino, sine piscibus, sine aliis obsoniis, præter panem, & non sub alia;) vel si idem tibi

explicit Confessarius, dum similem pœnitentiam tibi imponit, certè illâ forma semel, quamvis cum peccato violata, ad aliam ex vi voti, vel pœnitentiæ non obligaris, quia illam vovisti, vel acceptasti, & non aliam.

An toties peccatur, quoties in prædicti voti die bibitur vinum?

8. **I**nquire tertio. An toties peccem, quoties vinum bibo in die, quo Jejunium in pane, & aqua, vovi, vel acceptavi; idque bibam in notabili quantitate aliqua; nam ceterum pro nihilo parum reputaretur, & solum tunc peccaretur venialiter, nisi fortè tam paucas guttas vini bibam, ut moraliter ita nihilum reputaretur, ut ne peccatum quidem veniale committerem; id enim jam scio ex doctrina in superioribus non raro allata. Et sanè hoc, quod inquiris, idem est, ac si quæreres, utrum si vinum biberis, atque adeò quoad hanc circumstantiam votum, vel pœnitentiam violaveris, possis licitè, sine novo peccato, vinum iterum, iterumque bibere, posito quòd aliud in contrarium non intenderis, vel acceptaveris?

9. Respondeo, hac in re duas esse DD. sententias. Affirmat licitè posse Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 11. n. 41.* quia per abstinentiam vini semel violatam redditur pro illo die impossibilis dicta abstinentia vini. Negat Castrop. *tom 3. tract. 5. disp. 1. punct. 12. num. 10.* quia intentio, ait, voventis videtur Jejunio abstinentiam vini pro singulis horis totius diei affixisse.

10. Ego assentior Sancio, si sermo sit de voto, vel acceptatione jejunandi in pane, & aqua. Castropalao autem, si sit sermo de voto, vel de acceptatione abstinendi eo die à vino, nam licet in his duobus votis magna affinitas videatur esse; nihilominus, quia in altero est negatio bibendi vinum, quæ est malignantis naturæ, atque adeò omnino, prorsus excludens; in altero est affirmatio bibendi aquam, videtur adesse non spernèda diversitas, quam innuisse satis, superque sit, quamque diligentius examinandam Theologis scholasticis relinquimus.

11. Illam scrupulum denique à te amovet Azor, *p. 2. lib. 11. cap. 10* te Sacerdotem ex voto, vel ex pœnitentia Jejunantem in pane, & aqua non agere contra tuum votum, vel pœnitentiam, quamvis in sacro sumas utramque abluionem, de more sumi solitam. Sicuti neque contra illud agere, si es laicus, & post communionem vinum, sumas in ea quantitate, quæ de more in aliquibus Ecclesiis præberi solet communicantibus.

12. Quæres per hanc occasionem. Quid, si quis Sacerdos obligatus Jejunare in pane, & aqua, notabilem vini quantitatem ultra modum consuetum consecraret, illudque assumeret; reusne esset fracti voti præter peccatum irreverentiæ commissum contra morem Ecclesiæ, tantam quantitatem vini consecrate nunquam usurpantis?

13. Respondeo, hanc Sacerdotem præter peccatum irreverentiæ, esse etiam fracti voti reum. Sicuti item, si extra unicam de more plenam in meri-

die

TAMIRU
in
stetel:
XAVIA
de
redibus
E
30

die refectionem, in communi Jeunio assumeret notabilem quantitatem SS. Corporis in multis consecratis particulis. Ratio responsionis est, quia quamvis substantiam vini, & panis tunc non sumeret, quæ tota in hoc Sacramento adest, tamen assumit talia panis, & vini accidentia, ut mox iis corruptis, ac Christi Domini præsentia remota, mutantur in chylum, nutriantque perfectè; sicuti quilibet communis panis, & commune vinum: id quod est directè contra naturam Jejunii, petentis macerationem carnis, & modicam nutritionem, quæ omnia latè Theologi passim explicant, & quoad nostram responsionem sic tenet Diana *loco mox citando*.

14. Quæres iterum. Quid de Jeunio naturali? Si quis e. gr. lumeret vini, panisve consecrati aliquam quantitatem, essetne Jejunus, ut sic communicare iterum posset eodem die? Id certè ex concessione Ecclesiæ, ritè, & cum laude facit Sacerdos in secunda, & tertia Missa Natalis Domini, & Parochus, qui duabus Parochiis inservit in casibus alibi explicatis, & in casu dandi Viaticum moribundo ex probabili sententia, si deficient particulæ præconsecratæ. Sed petitio præfens est de aliis casibus, & absolutè. Quare, si quis e. g. etiam laicus post peractam communionem iterum eodem die communicaret, is peccaretne contra prohibitionem Ecclesiæ, bis communicandi in eodem die, an etiam contra prohibitionem communicandi post cibum assumptum? cum enim SS. Christi Corpus, & Sanguis non contineat

substantiam, panis, & vini, atque ad eò non sit cibus, nec potus usualis, videtur is post illa assumpta esse omninò Jejunus.

15. Respondeo Fagundez apud Dianam *part. 11. tract. 6. resol. 18.* & propendet ipse Diana, censet, peccare etiam contra prohibitionem communicandi post cibum, quia pro die Natalis Domini, & pro aliis illis casibus est privilegium concessum ab Ecclesia, quod in aliis casibus non adest.

16. Thomas autem Hurtadus, & Amicus apud eundem Dianam censent, non peccare contra Jejunium naturale, quia verè tunc non assumitur substantia cibi, sed SS. Christi Corpus. Nec obstat, inquit primò, quòd nutriat, quia non nutrit, ut panis, sed ut Corpus Christi. Nec obstat secundò, quòd sequeretur, eum non frangere Jejunium, qui præter refectionem meridiei assumeret multas particulas consecratas; non obstat, inquit, quia multæ particulæ, quamvis consecratæ, nutriunt, atque ad eò sunt Jeunio Ecclesiastico contrariæ, cum id sit contra finem Jejunii Ecclesiastici. At sumptio particularum consecratarum non est contra finem præcepti, quæ est reverentia debita tanto Sacramento, atque ad eò non est contra finem Jejunii naturalis.

17. Mihi videtur probabilior sententia Fagundez. Ratio est, quia non potest negari, assumi cum ipso Christi Domini Corpore accidentia, quæ mox mutanda sint in chylum. Ecclesia autem in reverentiam ejusdem Domini vult, ut ipse idem Christus non inveniat

sto.

stomachum præoccupatum, in quo scilicet eodem die fuerit materialis, & nutritivus Corporis chylus.

18. Quare parum facit ad intentum adversariorum, quòd particula consecrata non nutriant, ut panis; satis enim pro nobis est, quod nutriatur; præterquam quòd, illud quod adversarii docent, quòd nutriant, ut Christi Corpus, nescio, an ritè dictum sit, quia non est Christi Corpus, quod nutrit, sed accidentia, quæ mutantur in chylum, modo supra dicto. Atque hinc etiam sequitur, quòd, posito quòd, modo explicato, accidentia nutriant, non possit evitari irreverentia, quæ ex instituto Ecclesiæ judicetur fieri Christo Domino, inveniendi stomachum, veluti præventum eodem die à præsumptis accidentibus, eorumque effectu, quo corpus nutriatur.

*Jejunium in solo pane, an admit-
tat pastilos ex sola farina?*

19. **I**nquires quartò. An peccet is, qui vovit solùm panem comedere, si eodem die voti alia esculenta sumat ex solo frumento, vel sola triticea farina confecta, qualia sunt, quæ ab Italis, vel Vermiculi, vel maccherones appellantur, vel quales essent pul-tes ex solo cremore frumenti (vulgò ex amido) nullà alià re commixtâ? Ratio dubitandi est, quia sic videtur, & sic non videtur, is (substantiam) panis assumere.

20. Respondeo peccare. Ratio sumenda est ex intentione communi sic voventium; qui, dum Jejunium in pane, & aqua vovent, solo pane com-

muni, & ordinario se fore contentos promittunt; nisi expressè aliud intendant; atque illa edulia, quamvis ex triticea farina compacta, longè aliud sunt in usu, & existimatione hominum, quàm panis communis; ergo, &c.

21. Illud nihilominus facilè huic concedo, ut possit is panem ordinari-um in aqua coquere, & hoc modo coctum comedere, quia sic non se extrahit à communi pane. Quare, sicuti posset panem prædictum communem ad prunas assare, assatò que tunc vesci, quod nemo negat; sic poterit aqua elixare, elixatò que frui.

*Quantitas lacticiniorum in ve-
spertino jentaculo.*

22. **I**nquires quintò, cum supra cap. 6. n. 23. dixerimus, posse probabiliter licitè, in vespertino jentaculo Jejunii assumi, non quidem ova (hæc enim omninò exclusimus *ibid.* n. 24.) sed alia lacticinia, quando scilicet ea possunt comedi manè in plena refectione, remanet difficultas quoad eorum quantitatem, seu mensuram pro dicto jentaculo.

23. Respondeo; & quidem inquiri potest de quantitate parva, de mediocri, de magna.

24. Quoad parvam, id est, illam, quæ constituat in hac re parvitatem materiæ, dixi ibidem, à Leandro alios citante, concedi sine mortali mensuram dimidiæ uncia plus, minus, id quod ibi satis explicatum est; & confirmari etiam potest ex dictis supra c. 5. n. 39. Quare dicta, ibique explicata catei quantitas poterit licitè adhiberi in jentaculo

TAMEN
in
seculo
NIVA
de
redibus
E.
30.

taculo illius, qui ex privilegio, vel dispensatione lacticiinis velci in Jejunio potest.

25. Quoad mediocrem, de qua ego locutus sum *dicto cap. 6. num. 23.* sum enim locutus absolute de caseo, similique lacticio, eo modo, quo caseus comedi pro obsonio solet communiter in usu humano: qui communis usus non usurpat comedere caseum, vel butyrum, vel quid simile jentaculo, nisi cum pane; dico, quantitatem lacticini-orum, quæ potest permitti in jentaculo Jejunii admittentis sive ex privilegio, sive ex legitima consuetudine dicta lacticia; dico, inquam, hanc quantitatem mensurari debere ab hoc eodem communi usu: ut scilicet in hac opinione, quæ concedit lacticia habenti e. g. Bullam, tantum casei e. g. in talis Jejunii jentaculo possit licite comedi, quantum adhiberi regulariter solet à faciente jentaculum cum proportionato pane. Cum igitur, qui octo unciarum jentaculum etiam extra Jejunium facere velit, soleat ad summum quartam plus, minus casei partem adhibere, ita ut sex uncias ex pane cum dimidia addat pro obsonio unam unciam cum dimidia ex caseo, sequitur, quod in vespertino Jejunii prædicti jentaculo, secundum hanc opinionem possit quis habens Bullam, vel privilegium, comedere uncias septem ex pane, & unam ex caseo plus, minusve. Hanc mensuram, mediocrem appellavi; intellige semper de uncia Romana, quam mercatores aliqui appellant, & nos Siculi unciam (*alla sottile*.)

26. Quoad magnam, de qua ego *Tambur. de Præcept. Eccles.*

nec loco citato, nec alibi loquutus sum, quæ est illa mensura excedens usum casei communem, qualis esset, si quis vellet totas uncias octo concessas pro jentaculo, assumere in caseo, in butyro, in lacte; id, quod nimis esset extraordinarium; quis enim pro jentaculo etiam extra Jejunium sumit octo uncias ex solo caseo, vel butyro? Idemque certe est propter paritatem rationis de fumento majorem partem notabiliter ex caseo, quam ex pane. De hac igitur quantitate, quam magnam appello; & de qua, ut dico, nunquam locutus sum, assero, mihi videri improbabile, illam licite sumi posse in Jentaculo Jejunii. Ratio est, quia caseum admittimus, & loco est, ut probabile admisimus in ea quantitate, & eo modo, quo in secundis mensis adhiberi solet; at tunc solum solet sumi in parva, vel ad summum in prædicta mediocri quantitate, ipso usu, servantibus omnibus, illud medicorum: Caseus est sanus, quem dat avara manus.

27. Scio nihilominus, videri etiam hanc magnam quantitatem concedi à Marco Vidal in *Arca Theologica titul. de Jejunio Inquis. 1. n. 140.* qui, dum concedit dicta lacticia in dicto Jentaculo pro habente privilegium, sic addit. Ratio est, quia isti sunt cibi leves parum famem sedantes, unde plus fames sedatur sumendo nuges, panem, legumina, & alios ejusmodi cibos, quam sumendo eandem quantitatem ex dictis lacticiis. Hæc ille. Quod idem posset confirmari ex doctrina ejusdem Marci *ibid. n. 123.* allata, quod nimirum in vespertina collatiuncula, quæ

Ccc

fuit

fuit introducta ex consuetudine, non tam sit attendenda qualitas, quam quantitas.

Scio item, idem intelligi posse ex Patqualigo, qui *decif. 114.* sine ulla distinctione, vel limitatione concedit, cum, qui aliàs licitè comedit manè laetitia, posse vespere pro jentaculo eadem comedere. Scio, inquam, hæc, sed his acquiescere propter rationem à nobis modò dictam nequaquam possum.

*Jejunium servatum in uno loco
an repetendum in alio?*

28. **I**nquires ultimò, An si servavi Jejunium juris communis in uno loco, obliger aliquando illud servare in alio? Panormi e. gr. jejunatur die Mercurii e. g. pro festo S. Jacobi, si hoc incidat die Veneris, quia die Jovis est solemnitas S. Christinæ Patronæ; at Montregali jejunatur die Jovis. Si ego jejunavi die Mercurii Panormi, sed die Jovis mutò domicilium cum animo morandi Montregali, obligor ne iterum ibi jejunare? Idem queritur de vigilia S. Bartholomæi in iis locis, in quibus vigilia, & festum postponitur; & in Quadragesima in iis locis, in quibus est diversitas Calendarii?

29. Responder Pontius *lib. 5. matr. cap. 2. in fine*, ait, te obligari, quia jus commune obligat unumquemque in quocunque loco, ubi illud non sit abrogatum; at Montregali e. g. non est abrogata obligatio jejunandi in dicta die, & idem de Quadragesima, ergo,

quamquam illam complesti, adhuc obligaris alibi, ubi non est completa, & ibi figas domicilium.

30. Nilominus veram sententiam puto eam, quam sequitur Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 23.* Baldell. *tom. 1. lib. 5. disp. 31. n. 4.* alique cum Verricelli, *de Mission. titl. 3. q. 88. n. 11.* hoc est, te non obligari. Ratio est, quia præceptum jejunandi, indictum à Jure communi, obligat te semel jejunare, non autem bis; neque enim Ecclesia præcipit bis satisfacere suo præcepto, sed semel. Semper autem abesse debet scandalum, quod facile vitabitur, si constantibus dicatur, te jam jejunasse, & præceptum implevisse.

31. Sed quid contra, si nimirum ego, non completa Quadragesima, accedam ad locum, ubi jam est completa, obligor ne ibi eam complere; vel vigilia à me non servata accedam ad locum, ubi vigilia jam amplius non servatur?

32. Respondeo, Obligat te Merolla *tom. 2. disp. 4. c. 3. n. 557.* quia præcepta communia, de quibus loquimur, obligant absolute in quocunque loco quisque sit. Non te obligat Sanchez *l. in dec. c. 12. n. 30.* alique cum Verricelli *loco cit. n. 19.* quia in tali loco jam cessavit Quadragesima, vel vigilia præceptum, atque adeò cessavit ejus obligatio, ergo potes, te confortare illi loco, ubi inveniris semper remoto scandalo. Utraque sententia est probabilis: recole, quæ diximus *c. 2. n. 1100. 27. & 30.*

* * *

PAR.

TAMIN
in
sacculi
XIV
de
redibus
E
30.

P A R E R G O N

AD QUARTUM ECCLESIAE PRÆCEPTUM.

DISPUTATIO UNICA.

DE PECCATIS CIRCA CIBUM, ET POTUM.

Omnis virtus, atque aded temperantia in cibo, & potu consistit in medio, seque removet à vitijs, quæ sunt per defectum, vel per excessum. De his igitur suo ordine in sequentem modum breviter agamus.

CAPUT I.

Peccata in cibo, & potu per defectum.

De nolente cibum ullum sumere.

1. **N**quirit primò de eo, qui fortè nolit per multos dies, se cibo reficere.

2. Respondeo, hunc peccare juxta gravitatem damni, quod sibi contra charitatem propriam infert, non esse dubitandum, quia homo non est dominus suæ vitæ, suorumque membrorum, sed DEUS, qui illam concessit. At quæstio est de aliquo, graviter infirmo, cui tanta non rarò sit cibi in-

appetentia, seu nausea, ut cibum illum sumere constanter respuat. Nam de hoc quæritur, an peccet, nihil volendo comedere.

3. Colligò ex DD. mox citandis, me non obligari cibum sumere, quando valdè laborem in eo assumendo, quia eum tanto labore charitas hominem non obstringit. Hæc enim vita (ait Joan. Sanchez disp. 46. num. 16. *Excusans eum, qui ob vitanda tormenta gravia confitetur delictum; ob quam confessionem est morte plerendum*) hæc, inquam, vita non est digna, ut tanto dolore à me conservetur.

4. Confirmatur, quia infirmus non obligatur sumere extraordinaria, & magnis impensis conquisita medicamenta, cum fatis sit, medicinis uti com-

Ccc 2

mu.

munibus; nec obligatur pati scilicet alicujus partis corporis, exhibendam cum magno dolore, quia cum tanta difficultate non me urget propria charitas, nec cum tantis tormentis (ut dictum est) vita mihi à DEO datur conservanda, ergo pari modo nec me urgebit in illa gravi (ut supponi debet) nausea, & morali quadam cibi sumendi impotentia.

5. *Lege Toletum de septem peccatis mortalibus cap. 60. Navarr. in sum. cap. 23. num. 128. Guimenium in Elencho propof. fol. 60. Et Victoria quidem in relectione de temperantia num. 1. sic habet. Quid, si eger sim, & nequeam potum sumere, nisi magno cum cruciatu?*

Respondeo, si animi dejectio tanta est, & appetitivæ virtutis tanta consternatio, ut non nisi per summum laborem, & quasi cruciatum quendam possis sumere cibum, aut potum, jam reputatur quadam impossibilitas; & idè excusatur saltem à mortali, maximè ubi est exigua spes vitæ, aut nulla.

De voto non comedendi Carnes etiam in periculo vitæ.

6. **I**nquires secundò: An, si quis voveret perpetuò abstinere à comestione carniùm, etiam si verè essent necessariæ ad vitam servandam, validè voveret, & licitè?

7. Respondeo, si intelligas pro quacumque circumstantia, ut si e. g. esses in loco, ubi aliud tibi non suppeteret, nisi carnes, illà que ni comederes, fame perires; vel ita infirmitate periculosa laborares, ut nisi illis te reficeres,

mortem subires, votum hujusmodi nec validum esset, nec licitum; quia esset de re mala, & contra præceptum naturale conservandi vitam. Si verò intelligas his, vel similibus periculis seclusis, esset validum, & licitum, quia tunc esset de re bonis, nempe de moderata corporis maceratione.

8. Dices; At Carthusiani etiam in periculo mortis laudabiliter sive ex voto, sive ex pia consuetudine abstinunt semper à carnibus.

9. At de his pari modo affirmo cum Fegandez, in *De cal. lib. 5. cap. 19. & 20. & cum Azorio, aliisque*, ipsos debere in periculo mortis omninò carnes comedere, si alius aptus cibus abest, ut si essent in deserto, ubi non nisi carnes habere ex venatione possent; vel si opprimerentur aliqua mortali infirmitate, carnes extremè requirentes. Verùm, quia regulariter alii sunt cibi, vel ex vitellis ovorum recentium, vel ex delicatis piscibus, vel ex similibus terræ fructibus confecti, qui carnibus æquipolleant, idè regulariter cum laude, tum in vita, tum in mortis periculo carnes ob mortificationis amorem à mensa repellunt.

Scio, quosdam cum Joan. Sanchez *disp. 3. num. 7.* probabiliter sentire, etiam si alii cibi desint in prædicta necessitate, etiam extrema, posse, immò & teneri suum votum servare (si tamen votum est, ut docet Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 2.* nam esse solùm regulam, atque adeò, ad illam non teneri in illo periculo, docet Sanchez *consil. cap. 2. dub. 31.*) teneri, inquam, & posse non conservare vitam ad conservandam religionem.

TAMEN
in
sacris
XIVZA
de
redhibetur
E
30.

negiosam disciplinam, publicèque bonum, ac fervorem suæ Religionis; id quod non est se occidere, ajunt, directè, sed indirectè, ut ipsi latiùs explicent.

Comedere, vel bibere ob solam voluptatem.

10. **I**nquires tertio: Si quis comedat, vel bibat non ex intentione se alendi, ad quem finem dati nobis sunt à natura cibi, sed solùm ad capiendam voluptatem, peccabitne saltem venialiter, præcinciendo semper à nocumento corporali, de quo dicitur *cap. seqq.*

11. Respondeo, secluso dicto nocumento, licere etiam sine veniali edere, vel bibere ob voluptatem, docet Bassius, *Ver. Gula num. 20.* & Joann. Sánchez *disp. 25. num. 44.* quem refert Diana; *part. 3. tract. 5. resol. 5.* & *part. 11. tract. 8. resol. 35.* Ratio est, inquam, quia non est contra rationem, quòd quis velit appetitum naturalem suis actibus delectari, qui actus non sunt contra rationem rectam, qualis est actus edendi, vel bibendi. Nam secus, olfacere res odoriferas, audire suavem melodiam, respicere floribus, herbisque ornata præta solùm ob delectationem, esset peccatum veniale, quod dicere, nimis esset durum; unde addunt, solùm esse peccatum, querere illam delectationem in cibis, quando est cum nocumento propriæ salutis.

12. Verùm, ne erremus, distinguendum est. Vel enim loquimur de eo, qui edit, bibitque ob delectationem quidem, non tamen sistendo in ipsa,

sed tantùm comitanter, simul eam delectationem ordinando ad sustentationem corporis, vel restaurationem salutaris. Talis est ille naufragus infirmus, qui, ut possit suæ sanitati consulere, querit, desiderat, petit ea, quæ cum delectatione sumat, quia, ut communiter fertur, *quod sapit, nutrit;* ut sic scilicet cibum sibi utilem, & necessarium sumat. Si de hoc, inquam, vel simili loquimur, licet quis in omnium Doctorum sententia delectationem in edendo querit, quia ad suum finem ordinat ejusmodi delectationem.

13. Vel loquimur de eo, qui solùm delectationem ita eligit, ut nullo modo, neque explicitè, neque implicitè ordinet ad finem, ad quem natura destinavit comestionem, putationemque, hoc, est, non ordinat ad finem alendi corpus, vel restaurandæ salutis, vel illius conservandæ. Et tunc cum Pasqual. *decis. 16. ajo*, peccari venialiter. Ratio potissima est, quia negari non potest, aliquam deordinationem esse, quidpiam agere, non intendendo finem institutum à natura; nam certè rationali homini indignum est relinquere finem principalem, & sistere in medio instituto ad talem finem. Finis autem comestionis est corporis salutem providere per delectationem illam, tanquam per mediam; ergo &c. Ita S. Thom. 2. 2. *quest. 148.* Ita etiam S. August. qui *lib. cont. Julianum cap. 14.* sic habet in confirmationem prædictorum; non solùm cibo, sed etiam cibi sapore eget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam li-

bidinem, sed propter tuendam salutem.

14. Ad rationem Joann. Sancio al-
latam num. 11. affert disparitatem Pas-
qualigus *loc. cit.* quia, inquit, delecta-
tio in cibo, & potu est medium ad su-
stentationem corporis; at olfacere res
odoriferas, audire (vavem cantum, a-
spicere prata viridia, & similia, imme-
diatè sunt instituta ad recreandum ani-
mum, & ad illum delectandum. Qua-
re, qui hæc facit ob solam delectatio-
nem, fini principali intento à natura
inservit, quòd non facit is, qui comedit
ob solam delectationem.

15. Ego aliam disparitatem affero
cum Pontio *lib. 1. de nativitat. cap. 21. num. 6.* ductam à doctrina, quam cum
omnibus Theologis tradit *ibid.* imple-
met Joann. Sanchez quòd nimirum om-
nis excessus in re quomodocumque
concessa, est semper culpa, saltem ven-
ialis. Affero, inquam, hanc dispa-
ritatem. Qui respicit spatiosa prata,
vel audit (vavem symphoniam &c. so-
lùm ob delectationem, in nullo peri-
culo est, admittendi excessum regula-
riter; at comedendo, & bibendo ad
solam delectationem pro quantum
periculum proximè subit admittendi
excessum; quare à peccato veniali se
liberare non potest.

16. Contra illud, quod Joannes
Sanchez addit, peccatum gulæ solùm
reperiri in sumptione cibi, vel potus
cum nocumento corporis, maximè fa-
ciunt duæ rationes. Prima est, quia
non esset gula vitium oppositum tem-
perantiæ, sed justitiæ, vel charitati pro-

priæ. Id quod est contra omnes Theo-
logos.

Secunda, quia ex S. Thoma com-
muniter recepto *loc. cit. art. 4.* quinque
modis committitur peccatum gulæ,
hoc est.

Præproperè, lautè, nimis, arden-
ter, studiosè.

Sed potest peccari his modis sine no-
cumento corporis, ergo potest esse gu-
læ vitium sine corporis nocumento,
quod negari deberet à Joan. Sanchez.

Quæ hæcenus dicta sunt de peccato
veniali ejus, qui ob solam delectatio-
nem; comedit, solùm ex probabilitate
dicta sunt; nam ceterum contrariam
sententiam sic firmat Honoratus Faber,
in Apologetico cap. 37. Graves (ait)
Theologi docent, delectationem ex
gustu quæsitam æquè culpa carere, ac
illam, quæ visu, auditu, odoratu per-
cipitur; & multi docent, hujusmodi
delectationes ex se non bonas, nec ma-
las, sed indifferentes esse. Ita sentiunt
Bonaventura, Scotus, Ocham, Almain,
Major, Gabriel, Joan. Sancio, Caje-
tanus, cujus verba hæc apponenda mi-
hi videntur: (*Nullum, ait, peccatum
est in hoc, quòd cibus delectabilis, dele-
ctabiliter sumatur, nisi quis sit ad eò in-
sapiens, ut putet, omnem voluntariam
delectationem sensibilem esse peccatum.*)
Hæc Cajetanus. Peccatum autem est
veniale, si delectatio illa sit tantisper
inordinata, e. g. quando comedis ante
tempus, vel nimis exquisita, vel plus
justo, &c.

De hoc argumento lege Th. Hurtad,
de Congr. fol. 227.

TAMIN
in
Siccl:
XIV
de
redibus
E
30.

De Offendente suam salutem
abstinentiis.

17. Inquires quartò. Quid sentien-
dum de eo, qui sumit quidem
aliquem cibum, sed non sufficientem
ad sui corporis salutem?

Huic inquisitioni sequentibus dictis
resp.

Dico primò neminem teneri uti ci-
bis delicatioribus in hunc finem, ut
vitam longiorem conseruet; posset e-
nim contentus esse cibis communibus,
& suo statui congruentibus. Ratio est,
quia nemo obligatur vitam sibi prolon-
gare extraordinarijs medijs, sed huma-
nis, & ordinarijs, dummodò ea sumat,
quæ satis sint ad se sustentandum; se-
cus, nimis onerosa esset hæc vita, si
obligaremur quærere delicatiora. Ita
Sanchez *libr. 5. conf. cap. 1. dub. 33.*
aliique.

18. Dico secundò eum, qui absti-
nentijs, & Jeunijs se macerat, ad finem,
ut citò moriatur, peccare mortaliter.
Patet; quia sic est veluti sui interfe-
ctor, quòd, ut vidimus supra, licitam
non est. Quare neque hoc licet, etiã
si intendas, & hoc facias pietatis causa,
quia non sunt faciendæ mala, ut eve-
niant bona. Sanchez *ibidem num. 9.*
aliique.

19. Dico tertid idem peccatum
committi, si, quamvis non habeas di-
ctum finem, tamen advertis, te tuis
abstinentijs notabiliter minuere tuam
vitam. Ratio est eadem, quia ex se
malum est diminuere sibi vitam, cujus
nemo est Dominus, nisi DEUS; un-
de tunc illæ abstinentiæ non sunt actus

virtutis, siquidem virtus est illa, quæ
fit secundum menturam rationis, qua-
les non sunt prædictæ abstinentiæ.

20. Una exceptio hic adhibetur à
Doctõribus, nimirum non peccari,
quando finis est hujusmodi, ut congru-
um sit pro ipso tali fine vitam minuere;
ut si filius indigens pro sua sustentatio-
ne uno quotidiano pane, quem solùm
habet, illum dividat cum Patre omninò
indigente, tanè tunc tanta pietas licitam
reddit diminutionem vitæ filii.

Ex hoc tertio dicto sequitur, tibi non
licere, etiã intuitu Religionis, e. gr.
ut subjicias spiritui carnem, vel ut ma-
gis merearis, vitam indiscretis abstinen-
tijs notabiliter diminuere. Patet ex
dictis.

21. Dico quartò. Quando corpo-
ri datur id, quòd morali judicio suffice-
re putatur ad illud sustentandum, salu-
tèrque conservandam, omninò licere
Jejunia, & abstinentias assumere ob fi-
nem boni spiritualis animæ, licet præ-
videatur diminutio vitæ. Hoc dictum,
est diligenter notandum, & bene in-
telligendum; conciliat enim ea, quæ
hactenus diximus, cum praxi Sancto-
rum, multas, & graves abstinentias
assumentium. Nam si quis dat corpo-
ri, ut dicimus in hoc quarto dicto id,
quod satis est ad illud conservandum,
jam non diminuit vitam suam, quia vi-
tæ dat, quòd illi debetur, & sufficit.
Esto, quòd illam indirectè aliquando
non prolonget, ut prolongaret, si di-
ctis abstinentiis non vacaret. Aliud
enim est sustentare vitam, aliud pro-
longare. Ad prius tenemur, non ad
posterius. Lege Angles *in floribus q. 8.*
de

de Jejunio Concl. ult. & Sanchez loc. cit. n. 11. cum De Lugo tom. 1. de Justit. disp. 10. à n. 32.

Rectè igitur Victoria in relect. de temperantia n. 9. ait, neminem teneri vivere in loco saluberrimo, sed posse habitare in regione noxia, ratione frigoris, & caloris, & humiditatis. Et Sayrus in Clavi Regia lib. 3. c. 9. n. 18. dicit, non teneri quempiam ad locum etiam proximum migrare ob salubriorem aerem, nec bibere vinum, quamvis Medicus dicat, ejus potu vitam ad decennium prolongatam iri. (Excipe tamen, nisi ob bonum publicum sua fortè vita necessaria esset) Et Sanch. lib. 5. conf. cap. 1. num. 4. & 5. sic loquitur. Non tenetur quis uti medicinis ad prolongandam vitam, etiam ubi esset periculum probabile mortis, ut quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres, quamvis teneatur quis, dum morbo laborat, consulere Medicos, & uti cibis salutaribus. Intellige, prout cuique secundum suas facultates datur copia. Quæ omnia dicta, cum sale discretionis sunt intelligenda.

22. Hinc collige primò, sanctos Patres, se multùm macerantes, semper dedisse corpori, quod ipsi sufficeret, si secus fecissent, peccassent; nisi bona fides, vel ignorantia illos excusasset, vel peculiatis Spiritus Sancti instinctus, nobis ignotus, non inspirasset.


23. Collige secundò. Abstinencias, & Jejunia, immò & flagellationem, aliasque similes macerationes in Religionibus approbatis licitas esse, quia in earum approbatione semper imponitur, ut Religiosi sumant, quod

necessarium ad sustentationem est. Quod si deinde aliquis indiscretus Religiosus in hoc erret, ipsi error imputatur, non autem Religionis institutor.

24. Collige contra tertio. Concionatores, Lectores, Magistros, Smalesque, si se abstinentis ita macerent, ut ad sua munia exercenda inhabiles evadant, seu evadere, prudentis arbitrio timeatur, peccare utique non solum contra seipsum, verùm etiam contra eos, quibus obligantur sive ex charitate, sive ex justitia, sive ex suo Religioso statu, ea officia exhibere; mortaliter, vel venialiter, juxta damnum, quod inferunt.

25. Quæres. Quandonam ejusmodi abstinentiæ, & pœnitentiæ improbandæ sunt, tanquam indiscretæ?

Respondeo cum Granato apud Dianam p. 5. tr. 4. resol. 33. id arbitrio prudentis definiri debere, spectata valetudine, viribus, ætate, &c. Addit tamen idem Granado: rem hanc non esse scrupulosè accipiendam præsertim ab his, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis corporis affligunt: rarò enim, aut nunquam damnandus esset, tanquam mortis alius culpa reus, qui propterea vitam valde abbreviaret. Hæc Granado, sed ejus verba delendum est illud (valde) ne demus ansam indiscretis abstinentiis.



TAMEN
in
seculi
XVIIII
de
restitutio
E
30.

CAPUT II.

Peccata in cibo & potu per excessum.

An humanae carnes licite comedantur?

1. Inquires primò. Cùm ipsum diæta-
men naturale, quo animus
horret, carnes humanas manducare;
ostendat, earum usum esse magnum
intemperantiæ excessum, & peccatum
mortale, ut latè probat Gobat de ebri-
tate c. 28. à n. 175. Inquires, inquam,
an saltem in aliqua gravi necessitate, in
qua omnes alii cibi desint, liceat co-
medere prædictas carnes hominis, jam
aliàs occisi? Dico (occisi) nam cer-
tum est, non licere tibi, hominem oc-
cidere, ut tu etiam in necessitate car-
nibus illius vescaris.

2. Respondeo. Eiusmodi gravi
necessitate existente, ut si quis mortem
vellet appetiturus ob inedia, nisi eas
comederet, eas comedere, non esse
peccatum. Ita S. Thomas, Sanchez,
Lessius, aliique cum Diana p. 3. tr. 6.
res. 48. Ratio est, quia in tanta ne-
cessitate ipsum idem diæta-
men tibi concedit, ut scilicet à te vita om-
nibus viis non prohibitis seruetur.

Quòd autem id prohibitum tunc
non sit, ut item, quòd inde nullum
damnum fiat tertio, patet ex eo, quòd
nec prohibitio, nec tertii damnum, ne
probabiliter quidem, afferri potest.

Quòd si Pasqualigus de Jejunio decis.
11. & Azor, Fagundes, aliique ab eo-
dem citati, dicant, esse mortale etiam
in necessitate; quia id prohibitum est

Tambur. de Praecept. Eccles.

jure naturæ, siquidem est, ajunt, con-
tra rectam rationem, non sunt audien-
di, quia nimis gratis id dicunt; horror
enim naturalis comedendi sine necessi-
tate humanas carnes quem modò n. 1.
supposuimus, valdè minuitur.

Confirmatur, quia prædicti Docto-
res ultro concedunt, posse in medica-
mentis, quempiam uti humanis carni-
bus, ut est communis praxis; ergo et-
iam in casu nostro, cùm tunc ear-
nes sint vitæ medicamentum. Scio,
eos conari afferre disparitatem, sed cer-
tè solidam nequaquam possunt.

3. Quæres primò: Si in ea ne-
cessitate posset quis illis vesci, obliga-
tione?

Respondeo: puto, non obligari, ex
ea universali ratione, quam supra c. 1.
num. 4. & 5. innuimus, quia nemo ob-
ligatur cum extraordinarijs medica-
mentis, & consequenter cum tam ex-
traordinario cibo, & valdè insolito,
qualis est humana caro, vitam tibi pro-
ducere extra casum boni publici. Le-
gite Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 18.
num. 14.

4. Quæres secundò: Quid de il-
lis senibus, qui bibunt sanguinem ex
vena secta adolescentis detractum, ut
eorum vigor concilietur, & senectus
prorogetur?

Respondeo. Sanè Baldell. disp. 29.
num. 19. testis est à Marsilio Ficino, &
pluribus alijs Medicis, hunc potum
laudari, tamquam singulare pharma-
cum ad conciliandum vigorem corpo-
ris senilis, & ad senectutem prorogan-
dam. At id negant alij cum Lessio, ad-
dente Ficinium, & alios Medicos, ejus

D d d

le.

manet in

sequaces, fortè in ratione medica esse deceptos.

Verùm supposita veritate talis medicamenti, ajo cum Baldello, & Lessio, ad prædictum finem posse licitè senem hoc uti remedio ex consilio Medici, præsertim si foret Princeps necessarius bono publico. Ratio est, quia hæc dicta utilitas excusat à peccato assumptionem talis remedii ex se, & intrinsecè non mali.

Carnes animalium crudas comedere.

5. **I**nquires secundò: An comedere carnes animalium crudas, sit peccatum? Crudas, inquam, nam de carnis sole, vel fumo assatis, vel sale maceratis, querendum non est; quia has non esse crudas, sed coctas nullus ignorat.

6. Respondeo: Esse peccatum grave, vel leve, pro ut grave, vel leve damnum sibi quis, eas sic comedendo, fortè infert, non esse dubium. At præscindendo ab hoc detrimento salutis, dico primò nullum esse peccatum, quando ex rationabili causa sic crudæ comeduntur, si non habeatur commoditas coquendi, vel sic crudæ essent necessariæ ad sanitatem, &c. Dico secundò, præciso omni damno, præcisâque rationabili causa, esse duas sententias. Fagundez *Præcep. Ecc. 4. lib. 1. cap. 2. num. 4.* ait, non esse peccatum mortale. Pasqualigus, *decis. 15* ait, mortale esse; quia est belluinum quid, & barbarum, habetque dissonantiam cum recta ratione; unde, cum sequatur inde gravis jactura humanæ digni-

tatis, eas sic comedens, ait, non excusatur à mortali. Mihi certè, qui libentè sequor sententiam Fagundez, videtur quidem dissonum, atque ab humanis, rectèque sententium moribus alienum, eas comedere, unde fortasse aliqua sit venialis deordinatio, sed quòd sit deordinatio gravis, atque adeò peccatum mortale, æternæque Inferni pena mulctandum, affirmare nec valeo, nec audeo cum Gobat, *loco citat. num. 129.*

Comedere extraordinaria, cretam, terram, &c.

7. **I**nquires tertio: An comedere ea, quæ non sunt ordinata ad hominum alimentum, e. g. cretam, terram, ferrum, paleas, carbones, & similia, præscindendo à damno, quòd sanitati inferunt (hoc enim gravi, vel levi interveniente, graviter vel leviter peccati, nimis sæpè in simili dictum est; id enim est contra propriam charitatem; nam proptereà quantitatem modicam ex illis edere, rarò ex hoc cap. excedit venialem culpam) sed, ut dico, an iis vesci, præscindendo à damno, liceat?


8. Respondet Pasqualig. *decis. 14.* & sic distinguit. Si quis ob infirmitatem, vel quid simile ea concupiscat, quia tunc ob delectabilitatem, quam habent, induunt rationem cibi, non est, ait, peccatum mortale, sed veniale dumtaxat, quia tunc est inordinatus quidam appetitus, sed certè non gravis, sicuti non gravis deordinatio reputatur nimis aliorum ciborum appetitus. At si cesset harum rerum concupiscentia, iis vesci, peccatum mortale est, quia sic gra-

TAMEN
in
seccis
MISA
de
redibus
E.
30.

De febricante volente bibere.

gravis injuria propria personæ contra ordinem præscriptum à natura, quæ alios cibos sufficientes, non autem illa pro hominibus instituit.

9. Sed profectò donec ostendas gravem deordinationem, vel grave aliquod præceptum, hanc peccati gravitatem cognoscere non possum, memor illius doctrinæ toties à me repetitæ S. Thom. in quodlib. 9. quæst. 7. art. 15. Periculose determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur. Quare puto in utraque parte distinctionis Pasqualigi, præciso damno, solam inordinationem venialem, atque aded solùm veniale peccatum inveniri; unde puellas comedentes sæpè terram, cretamque reprehendo quidem de mortali ex periculo gravis damni, non autem ex dicta deordinatione. Ac de his quidem sic habet Quintanaduennas, tom. 2. singulari tract. 3. singul. num. 7. rr. 7. Meminerint Confessarii, & adolescentulas moneant, culpam gravem committere, quando edunt calcem, carbonem, figula vasa, seu testea, seu fragmenta, salem, triticum, & similia, quæ non levem salutis jaçturam inferre communitè solent, etiam si paulatim deglutiantur, aut ipsæ dicant, sibi minimè nocere: & in has severissimos se ostendant, absolutionem nonnumquam differendo. Hæc Quintanaduennas satis rigidè; nam si parum, aut ratò illarum rerum edant, non videntur admodum suæ salutis nocere.



10. **I**nquires quartò: An, si quis e.g. febris laborat, sitimque gravem patiatur, possit licitè bibere?

11. Respondeo, verbis Caram. in Theol. Reg. tom. 1. num. 45. qui sic habet. Petrus laborat febris, vult aquam in accessu bibere; petis, an peccet? Volo doceri; quid ex isto aquæ haustu sequetur? Si solùm sequetur, quòd febris sit molestior, & laboriosior, non peccat venialiter, quia ipse est dominus suæ commoditatis, & ut potest, disciplina, & Jejunio, se commoditate privare propter DEUM, etiam posset haustu illo aquæ, si ex haustu illo nihil præter incommoditatem sequeretur.

Possit ex illo haustu sequi, quòd febris duret per plures horas; & tunc item peto, an ista febris evidenter futura sit causa directa, ut ipse omittat aliquam obligationem, cui aliàs teneretur satisfacere (puta, si ille ægrotus haberet mediocrem salutem, nempe sufficientem, ut post discessum febris teneretur, aut legere suas horas, aut in die festo audire sacrum, & propter istum haustum evidenter sciret, se redi incapacem, ut illi obligationi responderet;) tunc obligationis omisso illa, voluntaria contenda est, & juxta istius omissionis, aut levitatem, aut gravitatem est illa intemperantia judicanda.

Potest tandem ex illo haustu sequi evidens mortis periculum, & tunc ille peccat mortaliter. Hactenus Caramuel.

12. Sed dubitabis adhuc, an, si hujusmodi æger gravissimam, intolerabilemque sitim pateretur, posset sine peccato bibere, tamen cum evidenti periculo mortis? Ratio dubitandi oritur ex illa doctrina, quam supra allecebamus in simili *cap. I. num. 4. & 5.* ubi concessimus, non obligari infirmum molestissimam Medicinam sumere, quia cum tanto labore nequaquam propria charitas obstringit, nec vita nostra est cum tanto excessivo dolore conservanda.

13. Respondeo. Prima facie paritas videtur esse eadem; sed ego introspicio illam disparitatem; nam nolens assumere illa difficillima remedia, se habet solum negativè, & solum veluti permissivè dat suæ morti occasionem, at in casu præsentis se habet positivè, & per aquam, quam voluntariè bibit, est causa positivè concurrens ad suam mortem. Sic mihi videtur; sed tamen aliis, me sapientioribus, id decidendum relinquo.

An teneamur abstinere à carnibus, vel vino, ob bonum spirituale?

14. **C**asus posset esse hujusmodi. Ad eum stimulis turpibus afficeris, ut videas, cum esu carniùm, vinique potu, vel duplici plena refectioe, eos vinci à te non posse, & inquiris, an tenearis ab illis abstinere, & jejunare?

15. Respondet Fernandez apud Dianam *p. 1. tr. 9. res. 30.* non solum te, tuique similes teneri ad prædictam abstinentiam, quando id necessarium

est ad tuam spiritualem salutem; ut quando urget gravis tentatio, & aliud remedium non suppetit; verum etiam prægnantes teneri, quamvis ad sit periculum abortus; siquidem salus propria spiritualis præferenda est saluti corporali aliorum. Homobonus autem apud eundem, & idem Diana loco cit. hanc sententiam non admittunt in prægnante, cum ea possit contra stimulos inhonestos sibi consulere aliis remediis, nempe oratione, Sacramentorum frequentia, piis consiliis, aliisque spiritualibus armis: quare non debet tanto detrimento suum foetum exponere. Hæc illi. Quoniam ergo regulariter quilibet suis gravibus tentationibus posset aliis viis se opponere; & ex alia parte non potest esse certus, quod etiam sic easdem non patiatur, non erit quis obligandus ad deserendum ordinatum, temperatumque usum vini, carniùmque moderatam refectioem.

Se Cibis ingurgitare.

16. **A**N sit peccatum mortale, se cibis ingurgitare usque ad vomitum, semper præcindo à detrimento salutis?

17. Respondeo. Si id fiat ex præscripto Medicorum, nullum esse peccatum, quia tunc est medicina utilis salutis, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 188. a. 6.* omnes docent. At si quis id faciat absque dicta utilitate, Sylvester, *Ver. Gula,* & Angelus, *Ver. Immunditia,* affirmant, esse peccatum mortale. Navarrus verò, Cajetanus, & Diana *p. 1. tr. 13. n. 40.* dicunt, solum esse veniale, quia peccatum gulæ extra ebrietatem regu-

TAMEN
in
sicce
NUNQUAM
de
realibus
E
30.

regulariter est veniale. Hæc sententia est probabilior, ad quam videtur etiam inclinare S. Thomas loco cit ad sec. his verbis: *Li et utile sit post superfluam commestionem illam vomere juxta illud Eccl. c. 22. (Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, & vomere, & refrigerabit te;) tamen vitiosum est, quod aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam sibi, ac potus.* Ita S. Thomas. Ecce, quomodo id appellat duntaxat vitiosum, nec aliam majorem censuram addit.

CAPUT III.

De peccato ex superfluo vini potu.

Hoc est, de ebrietate.

1. **N**on est nobis hic sermo de illo superfluo vini potu, quo quis eo modo satiatur, quo identidem in sacris litteris accipitur nomen ebrietatis, veluti est illud *Isaie, cap. 25. Descendat imber, & inebriet terram, hoc est, satiet;* sed de eo, qui ita hominem fatiat, ut ejus mentem conturbet, impotentique rationis pro aliquo tempore reddat.

An, & quale peccatum sit, se inebriare?

2. **I**nquires igitur primò. An se voluntariè inebriare, sit peccatum mortale? Dico (*voluntariè*) si enim quis nihil prorsus suspiciens de futura ebrietate, ex eo quia numquam expertus fuerit, se tanto, vel tanto vini potu

usum rationis amittere; si quis, inquam, bona, quoad hoc, fide, bibat, hunc non peccare peccato ebrietatis, scimus omnes, quia tunc ebrietas eveniret contra, vel præter suam voluntatem. De eo igitur est locutio, qui vel bibit, ut se inebriet, quod est expressè, & directè velle ebrietatem; vel cum advertat, se inebriandum, attamen à tanto vini potu non se cohibet, quod est velle ebrietatem indirectè. Hæc autem ebrietas sic defini solet. Est *voluntarius excessus in potando usque ad violentam usum rationis privationem.* Addit Lessius, *lib. 4. cap. 3. dub. 3. (i) que causa voluptatis.*

3. **R**espondeo. Communiter Doctores vel docent, vel supponunt, ebrietatem esse peccatum mortale; & quidem meritò; nam, *Nolite errare* (ait S. Paulus 1. ad Corinth. 6.) *neque fornicarij, neque idolis servientes neque ebriosi Regnum DEI possidebunt.* Et ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis homicidia, ebrietates, commestiones, & his similia, que prædisco vobis, sicuti prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.* Lege Baldellum, *lib. 5. de leg. disp. 30.* Theoph. Raynaud. *de virtutibus lib. 6. à num. 102.* Lessium, Valentiam, aliosque apud Gobat, *de ebrietate, c. 6. & deinceps.*

4. **S**ed difficultas est assignare, quamnam sit ratio tantæ culpæ? Communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 150. a. 1. hæc affertur, quia est contra dictamen rectæ rationis, quod homo sciens, & volens seipsum priveret usu rationis; siquidem ratio, & potestas utendi ratio-

D d d 3 ne,

ne, est data homini tanquam præcipuum, & proprium ejus bonum, quo se velle privare, non potest non esse graviter contra rectam rationem.

5. Præterea ebrietas impedit, ne quis satisfaciat præceptis divinis, & Ecclesiasticis, ergo est culpa mortalis propter periculum, cui se sæpissimè, ebrietatem volens, exponit.

6. Tertio, ebrietas facit hominem bestiis similem, aut iis deteriorem. Vide mox n. 21.

7. Quarto, causat multos morbos corporales; unde Baldellus, loco cit. num. 17, quòd aliquis, ait, per inordinatam vini computationem in ejusmodi morbos, aut pericula spontè, aut scienter se conjiciat, certum est, quòd non vacat culpa mortali.

8. Quintò, ebrietas corpus incendit, & potenter allicit ad turpia; quare ex hoc ipso est mortale. Unde rectè S. Paulus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et Prov. 20. Luxuriosares est vinum, ac tumultuosa ebrietas.*

9. Ex dictis colligo, non esse ponendum in definitione ebrietatis illud Lessij (idque causa voluptatis) nam etiam si non voluptatis causa, sed e. g. ob complacentiam amici, te vini aliàs non amatorem, sine voluptate, vino repleas, ebrius eris cum peccato mortali, quia prædictæ rationes contra te militabunt.

10. Quares. Hæc, quæ dicta sunt, & dicentur deinceps, intelliguntur ne etiam de ebrietate primò inducà à potatione cervisæ, vel similis? Secundò, pe inducà à suffitu tabachi, à lupulo,

à cubatione in loco, ubi ejusdem lupuli est copia, ab ardore vini habito in loco, ubi multa sunt dolia vino generoso plena? Tertio, quid de inducà à cibis aliquibus, vel fructibus; nam etiam panis ex farina, in qua sunt immixta, multa grana milii, vel similibus, inebriat, ut etiam unedo, qui est fructus arboris, sic dictus, quia unum, hoc est, paucos oportet ex his comedere; multi siquidem inebriant.

11. Respondeo. Profectò de omnibus supradictis, & similibus (si vera sunt, quæ narrantur) idem intelligendum, quòd dicitur de ebrietate ex vino, quia jam sic inducitur ebrietas rationis usum tollens. Ita Dicastillus lib. 1. de Just. disp. 3. n. 121.

12. Quoniam verò suffitus, seu fumus tabachi dicitur tollere usum rationis non immediatè, sed inducendo somnum; ideo Lessius lib. 4. c. 3. n. 19, excusat à mortali illum, qui hujusmodi suffitum hauriat, etiam causa voluptatis; sed Gobat de ebrietate c. 23. n. 4, censet, si in solo somno, si in vigilia amittatur per suffitum tabachi proxima potentia ad usum rationis, idque per tempus non brevissimum, censet, inquam, esse mortale, si sumatur voluptatis causa; vacare tamen omni culpa, ait, qui consilio Medicorum hauriunt prædictum fumum tabachi ad cerebrum confortandum, caput exonerandum, pituitam expellendam, tametsi fiat, ut per breve tempus, quasi vertigine acti, non sciant, ubi stent.

13. Contra prædictam doctrinam, quòd ebrietas sit per se culpa mortalis, sunt duæ objectiones.

Pri-

TAMBR
in
Siccl:
NIVA
de
redibus
E
30.

Prima est hæc, *Genes. ubi c. 43.* dicitur de fratribus Joseph, quod biberunt, & inebriati sunt cum eo; at si ebrietas esset peccatum, Joseph vir iustus nec in se illam admisisset, nec permisisset in fratribus, ergo, &c.

Respondeo Facile ex dictis modò n. 1. Sensus enim est, quod sint satiatii, & exhilarati juxta communem Sacræ Scripturæ locutionem. *Psal. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, &c.* & alibi passim.

14. Secunda est hujusmodi. Licetum est, se privare usu rationis per somnium, ergo etiam per potum.

Respondeo. Adesse disparitatem quadruplicem; nam primò, in somno usus rationis naturaliter cessat, idque, ut vires corporis, vel amissæ reparantur, vel debilitatæ refocillantur; at per ebrietatem usus rationis violenter tollitur, idque per causam illicitam, nempe per potum immoderatum.

Secundò. Privatio usus rationis in somno inducitur, mediante quiete sensuum; per ebrietatem verò rationis usus tollitur sensibus vigilantibus, unde ratio, quæ deberet sensus vigilantes gubernare, contra naturalem ordinem dormit.

Tertiò. In somno tollitur usus rationis, sed non potestas propinqua utendi ratione; quare si dormiens excitetur, potest statim ratione uti, & sua negotia peragere. Præterea dormiturus disponere potest sua negotia, & committere, ut tali hora excitetur, & statim habilis est ad functiones suas, quæ omnia nimis ab sunt ab ebrio.

Quartò. In somno non adsunt illi pravi effectus, quos modò à n. 5. diximus esse in ebrio.

Semel se inebriare.

15. **I**nquires secundò: An aliquorum ebrietatem, si non sit assidua, & frequens, non inducere peccatum mortale, sed dumtaxat veniale, sit admittenda?

16. Respondeo: Sanè id meritò, ut mox videbimus, admiserunt aliqui ex ea ratione, quia solùm, quando ea est assidua, impedit notabiliter usum rationis, atque infert homini ea notabilia nocumenta, quæ nuper attulimus; verùm, quando est rara, semel e. grat. vel iterum, non ita.

17. Confirmant, primò alii auctoritate S. Aug. qui *Serm. 4. de Saneis*, aliquot peccata mortalia enumerans, sic ait. *Et ebrietas (si assidua sit) in eorum numero computatur. Et in Serm. 23. de temp. Si reliqua peccata Christiani non admittant, sola eos, si frequens fuerit, ebrietas & emendatio, ac poenitentia non subvenerit, in infernum præcipiat.*

18. Confirmant alii secundò ex S. Thom. qui *quæst. 2. de malo, art. 8. ad 3.* ait: *Quòd sicuti semel inebriari est peccatum veniale, ita & multoties inebriari, est mortale, per se loquendo. Et quæst. 7. art. 4. ad primum. Ebrietas, inquit, non semper est peccatum mortale, sed quando homo assidue inebriatur, videtur, quòd non curet, quòd ratio sua convertatur ad DEUM, & in tali casu ebrietas est peccatum mortale.*

19. Ve-

9. Verum certa sententia apud Theologos (præter Cajetanum *mox num. 24.* citandum) est, etiam semel te voluntariè inebriari, esse mortale, Prob. 1. Ratione, quia ebrietas tollit, ut supra diximus, violenter bonum rationis, quod & naturaliter, & moraliter est præcipuum bonum hominis rationalis; at hoc bonum violenter tollere, etiam semel, notabile damnum infert homini, ergo non potest non esse notabile damnum, atque adeò peccatum mortale commissum contra se ipsum. Sanè, si quis à te per diem violenter usum rationis tolleret, nonne notabiliter te offenderet, & certè acerbius, quam si à te tolleret semel brachium e. gr. quamvis supponeretur, mox posse ex intervallo illud tibi deinde restituere: quare pari modo, si illum usum rationis tu per ebrietatem à te voluntariè tollas, tibi notabiliter nocebis in te, cujus tu Dominus non es, sicuti non es Dominus tuæ vitæ, tuorumque membrorum, quorum grave nocumentum, sine gravi culpa, spontè eligere non vales.

20. Prob. 2. Autoritate sacrarum litterarum, quam attulimus *cap. præc. num. 3.* Nam ibi dicitur, non possidendum Cœli Regnum ab ebrisiis, atque ab homicidis, & fornicantibus; atqui hi etiam, si semel sint homicidæ, vel fornicantes, non possidebunt Regnum Dei, ergo, &c.

21. Prob. 2. Ex communi sensu SS. Patrum S. Basil. *hom. 14 de ebrietate*, ubi bestiis comparat ebrios Sanct. Chylostomus *hom. 98 in Matth.* ubi ait: *Quando melior asinus ebrius est. Idem*

ibidem. Pecudes, inquit, irrationabiles vos estis, qui inebriamini, &c.

22. Ad probationem antiquorum, respondeo, falsum esse, non inferri notabile damnum per infrequentem ebrietatem, ut *num. 19.* probatum est.

23. Ad dictam confirmationem dico, S. Augustinum fortè cum antiquioribus sensit olim, sed deinde, te meliùs expensa, aliter omnino voluisse, ut constat ex eo, quòd in *Epist. 64.* ebrietatem, dicit, esse scditatem flagitiosam. *Et serm. 45. de temp.* eam adumerat cum peccatis, quæ homini intercludunt Regnum Dei. *Et serm. 232.* sic dilertè pronunciat: *Quis credit, ebrietatem esse parvum peccatum, si se quis non emendaverit, & pro ipsa ebrietate poenitentiam non egerit, cum adueneris, & homicidis sine remissione illius æterna, in æternum, poena cruciabit.*

24. Ad secundam confirmationem pari modo assero: S. Thomam aliquando sensit, ebrietatem per se, & ex genere suo esse aliquando peccatum veniale: esse autem mortale per accidens, si sit causa luxuriz, vel alius peccati gravis. Cujus sententiz fuit etiam Cajetanus 2. 2. q. 150. *art. 2.* Verum S. Thomas mutavit deinde sententiam; nam *lect. 3. in cap. 13 ad Rom.* Considerandum est, inquit, quòd ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur, quia videtur præferre delectationem vini integritati rationis. *Et 2. 2. quasi. 150. prædicti. art. 3.* sic concludit: *Unde ebrietas, per se loquendo, est peccatum mortale.* Quare mitior, Cajetanum, valde S. Tho-

mz

TAMBR
in
seccle
NIVA
de
E
30.

ma addictum, aliter dixisse in hoc eodem loco, in quo sic aperte concludit S. Thomas.

Ebrietas imperfecta.

25. Qui sine defectu rationis multo se vino replet, sed sine perfecta ebrietate, atque adeo sine plena privatione rationis; ut aliquando contingit, propter bibendi consuetudinem, vel propter capitis robur, peccatne?

26. Respondeo: Tunc peccare saltem venialiter, ne sit dubium; At peccabit etiam mortaliter, quando per ejusmodi potationem notabiliter lædit suam naturam, eam onerans immoderato potu, vel quia adsint illa pericula, & mali effectus plena ebrietatis, quæ capite præcedente à num. 5. afferimus, secus, erit regulariter peccatum veniale, quia sic reducitur res ad parvitatem materiæ.

27. Quid, si quis solum fiat ex liberali vini potu paulò hilarior?

Respondeo: Videri Dico: stillo, l. 1. de Just. disp. 3. num. 2. hunc peccare: licet enim teletur, viros graves, & doctos censere, te non peccare, si in gratiam amici petentis, & provocantis, eò usque bibas, donec fias paulò hilarior solito, tamen ipse dissentit ab his; eò quod ad nullam virtutem possit pertinere talis potus: non dicit autem, quodnam hoc peccatum sit.

28. Gobat autem de ebrietate cap. 18. numer. 42. contentit cum prædictis ut sgravis in eo catu, quo illa provocatio, & potatio, utilis atque necessaria sit ad exhilarandum animum.

Tambur. de Præcept. Eccles.

provocantis, vel provocati, occupatum fortè molesta aliqua melancholia; potest enim id spectare ad necessitatem officij, quo quis amicum amicus colit, vel ad vitam sine gravi tædio transigendam. Hæc illi. Ex quibus colligo, ex se id non judicari, nisi veniale, quando, ut modò dixi, non læditur graviter natura, nec aliud grave malum consequitur.

Se inebriare ad sanitatem recuperandam.

29. Inquires tertio: An quis ex præscripto periti Medici possit sine peccato se inebriare ex eo, quòd aliud remedium non appareat, quo gravem infirmitatem à se excutiat?

30. Respondeo. Prima sententia id negat, cujus ratio est, quia etiam tunc privaretur homo usu rationis, ac potentia proxima, utendi illa, quòd est maximum malum, ut dictum est hominis rationalis. Hanc sententiam sequuntur S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 3. §. 1. Angelus, Tabiena, Rossella & ebrietas.

31. Secunda sententia concedit, atque in aliquo rarissimo casu, quo peritus Medicus id necessarium judicaret, vel ad infirmitatem lethalem evitandam, vel etiam ad gravem morbum expellendum, posse licitè quempiam inebriari.

Ratio est, quia de duobus malis minus eligi licitè potest; atqui minus malum est usu rationis ad tempus privari, quam gravi morbo vexari, vel vitam, & cum ipsa usum rationis, amittere, ergo &c. Sicuti ergo potest

Ecc

quis

quis velle manum sibi abscindi, ne totum brachium marcescat, vel ne ejus vita depertatur; & sicut Medicus potest licite propinare fœminæ gravidæ ægrotanti pharmacum ex probabili sententia, quod directe tendat ad expellendos pravos, læthalésque humores fœminæ, si aliud vitæ remedium non adest, quamvis indirectè sequuturus sit abortus fœtus animati, ita in casu nostro, &c. Hanc sententiam probabiliorum judico, quam sustinent Sylvester, Cajetanus, Toletanus, Valent. Lessius alii que apud Gobat *de ebrietate cap. 18. num. 21.*

32. Duo autem hæc sunt notanda. Primò, casum hunc fortasse nunquam accidere in praxi posse, quia nunquam non aderit aliud remedium. Certè S. Thomas 2. 2. *quest. 150. art. 2. ad 3.* nec ad vomitum, ait, provocandum requiritur, quòd homo sit totus ebrius, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum caulat, & idè propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Vides, quomodò S. Doctor recurrat ad aliud remedium? Sed nos Theologi relinquamus Medicis discutiendum, an tanta necessitas unquam contingere possit?

33. Secundò, notandum est, infirmum non debere, se inebriare ex directa intentione, seu privandi ratione, nec medicum ex eadem intentione, id consulere; hoc enim per se malum est, sed directe per vini haustum debere intendere sanitatem; esto, prævideat consecutam indirectè rationis conturbationem. Quod idem advertunt Doctores in Medico propinante

pharmacum ægrotanti; nam nec ipse Medicus, nec fœmina intendere potest directe abortum fœtus animati; sic enim essent homicidæ, sed directe pravorum humorum expulsionem; esto, deinde præter intentionem sequatur abortus.

34. At licebitne etiam, se inebriare, si agatur de morbo impendenti præcavendo, non autem de morbo curando, seu expellendo?

Respondeo, licere puto cum Gobat *loc. cit. num. 26.* nam recta ratio, inquit, permittit, ut tanto studio coner impendentes morbos excludere, quanto jam præsentés expellere.

35. Quare in subito pestis timore, alijs remedijs æquè commodis deficientibus, magnus haustus vini generosi permittitur à Lessio, *libr. 4. capit. 3. num. 13.* qui idem Lessius asserit, magnam vini copiam prodesse, si quis venenum frigidum, e. g. cicuram bibit, aut sumpsit.

Se inebriare ob metum mortis ab extrinseco allatum.

36. **I**Nquires quartò: An sicuti quis licite se inebriat in eo casu, quo alio modo nequit se à gravi infirmitate liberare, ita in alio casu, quo Tyrannus e. g. te cogat sub metu mortis ad ebrietatem?

37. Respondeo: etiam in hoc casu licere censet Lessius, Baldel. Dicastillus, quos citat, sequiturque Gobat *de ebrietate cap. 18. num. 3.* testaturque Lessius multos doctos viros Universitatis Lovaniensis, quos consuluit, ita sentire.

No.

TAMBR
in
Sicclij
XIVVA
de
redibus a
E.
30.

Nequaquam in hoc casu licere, docet Cajetan, Azor. Bonacin. quos citat, & sequitur Loti., tract. 18. de ebrietate cap. 11.

38. Ego puto, ut id determinetur, recolendam esse prius illam questionem, an ebrietas, per quam privatur quis usu rationis, sit ita intrinsecè mala, ut nunquam liceat illam ponere: (sicuti fornicatio, quæ quia mala est intrinsecè, idèd ponere illam, nunquam licet;) an potius liceat in aliqua circumstantia, in qua exuat omnem malitiam? Sicuti homicidium, quod licet sit absolute malum, tamen illud in aliqua circumstantia licet: qualis est, ut se quis cum moderamine inculpatae tutelæ defendat, vel ut Princeps legitimus malefactorem morte condemnet.

39. Et sanè mihi videtur, ebrietas per se esse huiusmodi secundi generis, quod patet, quia ex communissima opinione diximus modò, eam admitti posse, ad gravem infirmitatem expellendam; quod non posset, si esset sicuti fornicatio, vel blasphemia, vel odium DEI, quæ nunquam exuere malitiam queunt. Dixi (per te) nam hinc præcindimus ab omni alio malo effectu, qui ex malitia se inebriantis consequi posset. Id quod semper est advertendum, quoties concedimus ebrietatem.

40. Hoc posito, dico, sententiam magis probabilem esse, quòd, sicuti ad vitandam, quam times ex gravi infirmitate mortem, potum inebriantem assumere tibi licet, ita ad eandem vitandam, quando eam prudenter à Tyranno times, Sicuti (ut habet Lessius)

licitè quis abscindit brachium, ne totus homo pereat; non solum ne pereat ex malo corporis intrinsecò, verum etiam ne pereat ex iussu Tyranni, qui mihi dicat: vel abscinde brachium ea cautela, ut non moriaris, vel te occidam; ita in casu nostro: tunc enim est, quasi dicat mihi Tyrannus: vel per ebrietatem amove à te pro aliquo tempore potentiam utendi ratione, vel te interficiam; hinc enim maxime valet à me eligendum esse minus malum, quàm majus amissionis vitæ. Quæ sanè electio non posset fieri, si private se ratione per ebrietatem, esset ita malum intrinsecè, ut nunquam libetari à malitia posset.

41. Obijcies auctoritatem S. Augustini, serm. 231. qui loquens de ebrietate, sic ait: *Etiã si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erit, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

42. Respondeo. Lessius ait, S. Augustinum hinc loqui de eo, qui prius ab aliquo urgetur ad ebrietatem, sed deinde is volens, se vino propter ejus delectationem replet. Melius respondet Gobat, cap. 18. num. 7. de ebrietate S. Augustinum dixisse, esse melius, id est, consultius, non verò esse præceptum, & per mortem animam intellexisse ipsam rationis jacturam. Equidem hanc posteriorem magis approbo, quàm explicationem priorem, quæ nimis extorquet Augustini verba. Et confirmo; nam si quis diceret: melius fuit, S. Calimirum noluisse per matrimonium virginitatem amittere, quàm illa amissa, vitam servare, rectè

diceret, nec indicaret præceptum, sed perfectionis studium commendaret.

43. Quæres. Ad suum honorem servandum, possit licitè quis iavitus ad convivia e.g. ad multos vini haustus, respondere similibus haustibus, seque inebriare? Sanè in aliquibus regionibus magnum dedecus est, non respondere.

44. Respondeo: Non posse licitè, ut expressè tenet cum Coninch, Gobat, *disp. 82. de ebrietate num. 8.* loquens de periculo irrisionis. Ratio est, quia honor, qui pendet à prava æstimatione stultorum, quales sunt, quia ejusmodi vini potationibus gloriantur, honor non est, atque adeò non est tantum bonum, ut præponi possit amissioni rationis, quæ est solidum, verumque bonum.

Provocare alium ad se in ebriandum.

45. **I**nquires quintò: An liceat alium provocare ad vini haustus, ex quibus advertatur, fore, ut is inebrietur?

Respondeo: Certum esse id peccatum fore mortale, quia si seipsum inebriare est mortalis culpa, erit etiam si alium, juxta illud S. Pauli *ad Rom. 1. Non tantùm, qui malè agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Si solum fiat paulò hilarior, colligi potest ex supra dictis n. 25.

Difficultas ergo solum hæc est, an aliquando ad vitandum grande aliquod malum, quod nequeat averti, nisi alium inebriando? Exempla proferunt Doctores multæ. Primum. Si mag-

num malum impendat Reipub; quod averti non possit, nisi inebriando auctorem tanti mali; ut si quis meditetur prodicionem Patriæ, condicla aliqua hora, ego autem illum ad convivium invitem, cumque inebriem, & interim transeat prodicionis hora. Secundum. Ego comprehensus à graffatoribus deducor ad cauponam, ubi spes mihi magna affulget evadendi, si eos inebriavero. Tertium. Titius hæc nocte disponit, suum inimicum è villa redeuntem interficere, ego autem ipsum Titium pridie vespere inebriandum curo, quo pacto Caius secutus evadat.

46. Dico, esse probabile, licitè posse, quando aliter impediri illa mala nequeunt. Dico item, esse probabile, licitè non posse.

Quòd licitè possit, docet Lessius, *lib. 4. de just. cap. 3. num. 33.* Baldell. *lib. 5. disp. 30. num. 26.* aliique. Ratio est, inquit, quia nihil malitiæ continet ad minus malum incitare illum, qui paratus est, facere majus malum, si per inductionem ad minus impeditur malum majus, quòd alio modo impediti non possit, ut esse supponendum nimis sæpè monuimus.

47. Quòd licitè non possit, docet Dicastillus, *disp. 2. de justit. quest. 3. dub. 11.* Layman, *lib. 3. sect. 4. num. 6.* aliique. Ratio est, inquit, quia ad impediendum majus peccatum, non licet suadere peccatum minus, nisi hoc minus sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majore, de quo patrandò cogitabatur. Sed de hæc doctrina nos latè disputavimus alibi, nunc tacis sic-

TAMEN
IN
SÆCULUM
NUNQUAM
DE
RESTITUTIO
E
30.

bere, utramque sententiam esse probabilem.

Se inebriare modico vino.

48. **I**nquires textò: Quid dicendum de ijs, qui modico haustu vini statim inebriantur; sunt enim non pauci, qui ex morbo, vel vulnere, vel complexione ita caput habent debile, ut evadant planè ebrj, si vel duo pocula vini bibant.

49. Respondeo, posito quòd hi suam hanc nosse debilitatem supponantur, mortaliter sine dubio peccabunt, si illa modica pocula bibant. Ratio est manifesta, quia adhuc sic utrum rationis, proximamque rationis potentiam voluntariè amittunt.

Excipe tamen, nisi gravis aliqua causa eos excuset; nam tunc licitum est his vinum bibere ex Medicorum consilio, quando tamen alio potu non inebriante carent. Licitum etiam erit, si in eadem carentia alterius potus vexentur vehementi siti, vel si ab alio potu aquæ e. g. admodum graviter lædantur, ut docet Excobar in Theologia Mor. tr. 2. Exam. num. 24. loquens de ijs, qui in mari navigant, & aqua, aliòque potu carent. Et ratio est, quia potus vini est à Deo, & à natura institutus ad sitim pellendam, ita ut hic sit primarius ejus finis. Cùm ergo actiones morales accipiant speciem secundùm id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, ut in simili habet S. Thomas 2. 2. quest. 64. art. 7. idcirco sicuti in pluribus aliis materiis dicunt iidem Theologi, non apparet, cur non etiam usus vini

fit per se licitus in prædictis casibus, ubi periculum gravis mali impendet, ut supponi debet, esto, per accidens, & præter intentionem sequatur rationis turbatio.

50. **O**bjicies. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ergo non est bibendum cum periculo ebrietatis, quod est malum, ut eveniat sedatio fitis, quæ est bona.

Respondeo. Quæ, dum fiunt, sunt mala, non licere facere, ut eveniant bona; quale esset e. gr. perjuriæ ad vitam proximi servandam; at in circumstantia fitis vehementis talis ebrietas non est mala, ut patet ex dictis, semper abstrahendo ab aliquo alio inconvenienti.

Peccata commissa in ebrietate.

51. **I**nquires septimò. Peccata, quæ quis committit, dura est ebrius, imputanturne ei in illo instanti, quo causam dedit, se inebriando? Homicidium e. gr. quod ebrius, dum est in ebrietate, fortè committit, imputanturne ipsi, quando heri vespere e. gr. vino se infarcinavit, an sequenti nocte, quando hominem occidit? Idem queritur de omissione peccaminosa; quando nam peccat ebrius omittendo audicionem sacri die Dominico, eo ne tempore, quo se inebriavit die, e. g. sabbati, an quando illud re ipsa omittit, nempe die Dominico? Hæc questio est universalis pro aliis casibus, ut de veneno propinato, de sagitta, seu sclopo inimicum vulnerante, &c. quando scilicet est peccatum? propinando venenum, & sclopum emittendo,

Ecc 3 do,

TRIN
PRÆCEPTA
R. R. R.
III
6.

do, an quando post dies perimitur inimicus?

52. Respondeo. Tres esse sententias. Prima affirmat, tunc imputari ad culpam, quando apponitur causa, nempe quando in casu nostro se quis voluntariè inebriavit, prævicens, ut semper supponi debet, vel certè dubitans, se occisurum hominem, seu se omisurum sacrum, cum tamen non abstinuerit à vino, nec ullam diligentiam adhibuerit, ne sequeretur interfectio: nam, si antequam se inebriavit, timens, se patratorem homicidii, fecit se e. g. benè claudi in cubiculo, ne postea exire ad occidendum, vacabit culpa homicidii.

37. Hanc primam sententiam tenet Vasquez p. 2. q. 71. art. 1. Lessius lib. 4. c. 3. dub. 3. n. 29. aliique.

54. Secunda asserit, imputari ad culpam, quando actu interficit, vel Sacrum omittit. Ita Marsilius, & Altidolensis apud citatos.

55. Tertia asserit, imputari ad culpam utroque tempore, tum scilicet quando apponitur causa, nempe ebrietas, tum quando actu committitur homicidium, vel omittitur sacrum. Ita Sylvester Ver. Omissio. Valentia p. 2. q. 71. art. 5. disp. 6. q. 1. punct. 4. aliique.

56. Ex his sententiis prima est probabilior. Ratio est, quia culpa non est, nisi quando liberè, & voluntariè actus peccaminosus admittitur. Cum ergo, dum quis est ebrius, libertate careat, sicuti, & quando dormit, non potest actus eo tempore commissus, vel omisus dici liber, & volun-

tarius; unde nec formaliter peccaminosus. Dico (formaliter) nam carterum ille actus homicidii, vel omisus Sacri denominabuntur quidem peccaminosa extrinsecè, ex eo scilicet quòd dicunt ordinem ad causam liberè potestatem, atque adeò rectè dici possunt, seu denominari peccata in causa, et non formaliter in seipsis.

57. Illud hinc quoad praxim relegendum, an in Confessione obligetur pœnitens tum causam, id est, ebrietatem, tum actum subsecutum, e. g. homicidium, explicare? Id quod solet dari in aliis etiam materiis, ut si quis propinet venenum Petro, qui post aliquos dies moritur, an satis sit, dicere, ac fateri, se dedisse venenum, ut occideret, an debeat item addere, & de facto se occidisse?

58. Circa hæc placet mihi doctrina, quam asserit Gobat de ebrietate cap. 9. n. 21. Mala, inquit, in ebrietate commissa non oportet confiteri, cum neque sint peccata, neque imputentur ad culpam, etsi ebrietas fuerit voluntaria, illaque mala commissa in ebrietate fuerint antea prævisa: nam quamvis Castropalaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 3. asserit, esse confitenda; tamen rectius negat De Lugo tom. 3. in 3. p. disp. 16. num. 440. cum multis aliis. Ratio est, quia tenentur confiteri sola peccata propriè dicta, ut patet ex Tridentino sess. 14. toto cap. 5. ubi ex instituto declarat, quænam sit materia necessaria confessionis, nec aliud ibi dicitur, quàm quòd peccata, & illa, per quæ nos Deum mortaliter offendisse meminerimus, sint confitenda;

TAMEN
in
seculo
NIVA
de
reditus
E
30.

da; atqui illa mala, de quibus loquimur, non sunt peccata, quia non sunt libera, nec per ea Deum offendimus: nam planè absurdum est dicere, quòd ebrius tunc mortaliter offendat Deum, cum hominem interficit, quando omni caret usu rationis, ergo non sunt necessariò confitenda.

59. Et paulò post. Quare, inquit, qui homicidium commisit in plena ebrietate, sufficit, per se loquendo, si dicat. *Me voluntarie inebriavi, pravis periculo homicidium committendi*; nec opus est confiteri, quòd infixerit vulnus lethale, ut ostendit allata ratio. Hæc Gobat.

60. Rectè autem dixit (*per se loquendo*) nam prudenter cum Valquez advertit de Lugo *loc. cit.* regulariter expedit, ut effectus ebrietatem conlecti exprimantur; tum quia hoc modo explicatur meliùs malitia actus præcedentis; tum quia meliùs intelligitur status penitentis; tum quia debet cognoscere Confessarius, an debeat iungere obligationem aliquid restituendi; tum quia debet videri denique, an illud homicidium e. grat. in ebrietate completum sit casus reservatus, vel excommunicationi obnoxius, &c.

61. Quæres. Se quis, si inebriando, solùm venialiter peccavit ob imperfectam e. g. deliberationem ex oblivione, vel inadvertentia ortam; malum ex ebrietate secutum, e. gr. homicidium, imputabiturne illi ad culpam mortalem, an ad venialem dumtaxat?

62. Respondeo ad venialem. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 26.* Ratio est, quia illud malum non est in seipso voluntarium, ut modò dictum est, sed solùm voluntarium in causa, hoc est, in ebrietate, ergo nequit majorem culpam contrahere, quam ipsa sua causa, seu quam ebrietas hic, & nunc continet, continet autem venialem.

Vendere vinum valenti se inebriare.

63. **I**nquires octavo in hunc modum. Titius caupo, cum sciat, aliquos inebriari sæpè in sua caupona; nihilominus vinum, quoties, & quantum volunt, vendit, & propinat, licetne id faciet?

64. Respondeo cum Vega in *Responsionib. casuum Bononiens. impressis Anno 1589. fol. mihi 231.* qui hanc quaestionem latè discutit, & illicitè mortaliter id facere resolvit D. Thomas. Ratio principalior est, quia, ut nos etiam modò diximus *num. 44.* non solùm peccat, qui aliquod peccatum committit, verùm etiam illi omnes, qui eidem culpæ consentiunt, vel adjuvando, vel non impediendo, quando hoc posterius, saltè facillè, & sine notabili damno possunt; sed Titius vendendo vinum illis, quos novit in tanta quantitate se inebriare, consentit, juvaturque, & non impedit eorum peccatum, cum facillè possit; ergo peccat.

65. Nec excusatur Titius ex eo, quòd, si ille non vendidisset talibus vinum, emerent alibi, ubi inebriarentur; non excusatur, inquam, nam

neque excusaris tu, qui commodas gladium e. g. homini volenti cum illo occidere suum inimicum, quamvis is te negante, peteret ab alio, qui commodaret. Et ratio est, quis adhuc cooperaberis peccato illius hominis, siquidem quod ab alio ipse habiturus sit gladium, non tollit, quin tu defacto commodaveris, cum facile negare potuisses.

66. Nec valet, si quis ita objiciat. Opifices, qui calceos, vel sandalia, vel vestes, vel fucos vendunt impudicis mulieribus, non peccant, quamvis sciant cum illis rebus eas esse peccaturas, ergo nec caupo vinum vendens ei, quem scit, se inebriandum. Non valet, inquam, quia opifices illi non inducunt, nec juvant per dictas vestes illas mulieres ad impudicitiam; & ex alia parte excusantur à necessitate exercendi suas artes, ut habet Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 7. At Titius Tabernarius ipso vino, quod vendit, proxime juvat potatores illos ad ebrietatem; & ex alia parte non excusatur à necessitate suæ artis, seu exercitij, cum ex suo exercitio solum habeat jus vendendi vinum modo ordinario ementibus, non verò volentibus se inebriare. Lege Castropalaum tom. 1. tract. 6. disp. 6. p. 14. qui ad vendendum vinum scienter se inebrianti, causam majorem aliquam præter ipsum vini meram premium expostulat, nempe vel timorem, ne multum diminuatur sic emptores, multum, inquam, quia ebrietas est majus malum, quam solutio Jejunij Ecclesiastici: quare major causa requiritur in vendente vinum se inebriaturo,

quàm requiratur in vendente cibos quadragesimales soluturis Ecclesiasticum Jejunium, ut suo loco nuper est dictum.

67. Quæres. Quomodo igitur se geret Confessarius, si quando ad ejus pedes accedat ejusmodi Tabernarius, quando jam publicè scitur ejus peccatum?

68. Respondeo cum eodem Vegeti. I. cap. Vel locutio est, inquit, de absolutione, vel de concessione sacre Communionis. Si de prima, docet, quando verè proponat caupo, se abstinere à dicta cooperatione, & ritè doleat de suo peccato, posse absolvi, nisi secundum circumstantias personæ prudentiam Confessarius velit differre aliquantulum absolutionem, donec experiatur, an se caupo emendaverit. Id quod commune est documentum in omni confessione advertendum.

69. Si de secunda, docet, ad Sacram Communionem hunc admitti non debere, donec publicè penitentiam agat, aut Confessarius (facta sibi facultate ab ipso penitente) publicè denunciaret, non modò præteritorum peccatorum, daturque concivibus scandalum eum penitere, & confessum esse; sed etiam omnem de futuro occasionem esse sublatam: ut scilicet, qui pravo Titii cauponis exemplo fuerunt offensi, ejusdem emendatione adfiscetur, ne Confessarius particeps sit peccati scandalum, &c.



TAMIN
in
sicco
de
E
30

Se inebriare in Ecclesia.

70. Inquires ultimò. An sit grave peccatum, vel edere, vel bibere, vel de inebriare in templo?

71. Respondeo. Aliud esse dicendum de potatione, & comestione, modo consueto exhibitis, aliud secundò de inebriatione, aliud tertio de publico convivio. Quoad primum, si potus, & comestio fiat ex necessitate in Ecclesia, nullum est peccatum; si absque necessitate, est (per se loquendo) veniale dumtaxat, quia id videtur parva irreverentia loci Sacri. Ita S. Thomas in 1. 2. ad Corinth. 11. lect. 4. Sæ Per. Ecclesia. Layman lib. 4. tr. 10. c. 7. n. 11.

72. Quoad secundum, bibere in Ecclesia usque ad ebrietatem, quando id occultè à te fiat, non videtur esse novum peccatum mortale, præter ipsam ebrietatem. Ratio est, quia actus se inebriandi, & potus auferens utrumque rationis, non videtur tam repugnans cultui sacro, ut per illum in Ecclesia factum occultè à te æstimeretur gravis irreverentia Ecclesie. Dixi (à te occultè factum) nam instituere computationem, perinde ac si esses in caupona, ultro, citòque vinum liberaliter propinare usque ad ebrietatem, immò etiam sine ebrietate, aliquid majus irreverentiæ sine dubio sapit: quare consultò, ac seriò has propinationes in Ec-

clesia facere, erit mortale, quia certè cum tali publicitate in omnium existimatione, Ecclesie, irreverentia gravis infertur. Ita Dicastillus de Pœnit. disp. 9. à n. 654.

73. Quoad tertium, dico mortale sacrilegium esse, instituere in Ecclesia absque necessitate prophænum convivium, licet in eo non poterit usque ad temulentiam. Ita Dicastillus loco cit. n. 652. Ratio est, quia sanè id nimis gravem Ecclesie, atque adeò Divino cultui irreverentiam ostendit. Sanè S. Anselmus in Ep. ad Corinth. sentit, Ecclesiam Dei contemni, dum in ea carnales cibi irreverenter sumantur. Et rectè quidem addit (irreverenter) nam aliquando consueto modo ex necessitate in templo edere, vel potare, cum non fiat, nisi necessitate concedente, à S. Anselmo non reprehenditur, sicuti nec nos reprehendimus n. 71.

74. Notandum denique velim, aliquanto benignius esse sentiendum, si vini potatio fiat in choro musico elevato à solo; tum quia tunc temper, ut suppono, esset sine publicitate; tum quia licet is locus etiam appellatione Ecclesie veniat, ut habet Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 16. n. 33. tamen in communi hominum existimatione ibi manducare vel bibere non existimatur gravis irreverentia, vel certè non existimatur mortalis.

